



RAYMUNDI MINDERERI DOCTORIS MEDICINÆ,

quondam Serenissimi Bavariæ Ducis, nunc Electoris, Consiliarij & Medici, nec non Reipublicæ Augustanæ, jurati Physici, ac Pharmacopæarum fideliss. simi visitatoris.

ALOEDARIUM MAROCOSTINUM.

Cum

DISPENSATORIO PARTICULARI, SEU PROPRIARUM COMPOSITIONUM CUSTODE,

in quo præter fidelem descriptionem Syruporum, specierum, extractorum formam, aquarum destillationes, oleorum compositionem, Balsami structuram, Vnguentorum Emplastrorum apparatum, plurimorumque aliorum artificiosam correctionem videre licebit.

AUGUSTÆ Vindelicorum,
Typis JOHANNIS PRÆTORII.
Sumptibus Sebastiani Mylij.
ANNO CHRISTI M. DC. XXVI.



ILLVSTRIBVS AC GENEROSIS DOMINIS, DOMINIS FVGGERIS,

BARONIBVS IN KIRCHBERG ET weissenhorn, Dominis in Babenhausen,

D. GEORGIO,

S. ORDINIS *CALATRAVÆ* Equiti, &c. Invictissimæ Cæsareæ Majest. nec non Serenissimorum Archiducũ Austriæ, Maximiliani, Ferdinandi, Leopoldi, & Caroli, Consiliario & Camerario, &c. Superioris inferiorisque Sueviæ Præfecto, & Comitatus Mitterburgensis Præsidi:

Itemq;

D. IOANNI,

Maximiliani Archiducis Austriæ, Consiliario & Camerario.

D. HIERONYMO

Quoq; &

D. MAXIMILIANO,

Fratribus germanis &c. Dominis meis debitâ observantia meritò colendis, &c.



DEDICATIO.

MEdicinam, quam ſolis quondam Dijs acceptam retulit antiquitas, magno ſemper in honore habitam fuiſſe veterum monimenta teſtantur, adeò ut nulla gens tam barbara extiterit, quæ non aliqualem ejus partem amplexata, ſi non ingenuè, attamen perfunctoriè in tantæ artis contemplatione fuerit verſata.

Su-

Suspecta autem erat primitùs artis tam prolixæ fides, ut quę vita brevi, judicio difficili, experimento fallaci, ideoq́; haudquaquam securo, imò etiam periculi pleno parabatur, Medicis per mortes experimenta agentibus, quantumvis vix ullus vel magnatum, vel philosophorum superfuerit, qui nō ad aliquam saltem medicationis speciem adspirans, artem tam præclaram non excoluerit, vel suspiciens non sit admiratus: undè plurimi sese eidem si nō in-

involuiſſe, ſaltem protinus applicaſſe ſunt obſervati, in certis eventibus certâ tandem fide factis, nihilominus ſalutis auxilia cõfirmantibus.

Vbi autem experimentis fide quoquo modo partâ fiducia facta eſt, tũ demũ Medicina non niſi magnatibus, regnorũ proceribus, Sacerdotibus ac Philoſophis concredebatur, ac ſi quid hac in parte à plebeis repertũ fuit, id Regibus pro maieſtatis augmento aut incremento eorum gloriæ adſcriptum, in illorum

lorum beneficia, inventa ac merita referebatur, quando experimenti periculoſa tentatio ſalutarem eventum nacta, in commodam ac ſalubrem medicaminis actionem deflexit.

Clarent hinc optimates, Imperatores, Reges, Tyrãni, Magnates, ac Philoſophi, Mithridates, Attal⁹, Iuba, Sabor, Euphorbus, Agrippa, Evax, Gentius, Avicenna, Meſuæ, Adrianus Eſdras, Muſa Crito, Aſclepiades, Hera, Apollonius, Heraclides, Sora-

 nus,

nus, Archigenes, alijq́ue penè innumeri, quorum gloriam medicamentorum fama memoria haud unquam delebili ac recordatione non interiturâ in posteras ac nostras quidem ætates tanta temporum serie incolumem provexit, ut nescias an Reges à medicamentis, vel hæc à Regibus denominationẽ auctoritatẽq; sint mutuata, à quibus ne ipsi quidem crudeles Tyranni alieni esse voluerũt, qui (etsi feris similes haberentur) attamen in parte hac comita.

mitatis seu humanitatis, quæ ad medicam facultatem spectat, mansuescere visi fuerit.

Sed & Thebæ, Roma, Pergamus, Troja, Corinthus, Athenæ, aliæq; civitates innumeræ medicamentorum encomijs celebratæ majorem abhinc famã & gloriam sunt adeptæ, quando pharmacorum inventa, eorundemque emolumenta non nisi Imperatoribus, Rebuspubl. Monarchis, aut regnorum domitoribus deferebantur.

Commendat Persiam Tri-

phera, Romam Philonium, Diospoliticō Ægyptum. Servat nomē suum Alexandria, Aureæ Alexandrinæ titulo solemnis, & Vrbi Benedicta Transtyberina famam ęvitatis compotem largitur.

Quod si ad personas devenias insigni memoria dignè habendas, Andronis, Polidæ, Philonis, Nechepsonis, Pythagoræ seu Samij senis, cæterorumq́; medicamenta vides, quorū pleraq; aut Principibus delata, aut Regibus dicata, aut deniq; Imperatoribus

ribus concessa fuisse memorat antiquitas.

Quare commotus Andromachus, Neronis Cæsaris Medicus, Theriacam ab alijs quidem priùs astructam, à se tamen magis excultam, & viperarum, seu (ut Galenus vocat) belluarum carnibus dotatam, ideòq; plus magis perfectam & consummatam Imperatori suo obtulit dicavitque, sic eum affatus:

Antidotum multis insignem viribus audi,
Cæsar, qui nobis otia tuta facis,
Tranquilla hæc hilarisq; suo pariterq; serena
Nomine, Cyaneos non timet una sinus.

Andromachi exemplum ſecutus ego, Aloëdariũ hocce à priſcis quidem, utpote Ruffo Epheſio inventum, ab Avicẽna autem Arabum Rege parumper immutatum, attamen ſeculorum ſibi mutuò ſuccedentium traditione ob certam experti commodi ſpem tranſlatum ac in poſteros transfuſum, nunc autẽ ſumpto à die in diẽ docente incremento paulò locupletius redditum, & pluribus ſic intentionibus valetudinis cõſervandæ auxilia cõcer-

cernētibus diversimodè serviturum, nec non ad universi corporis primates ac præcipuas partes, quibus anima hærere creditur, directū, insuperq́; multorum votis (qui ejus fælicem usum prospero successu multoties inierunt) toties expetitum: sic nūc vobis (Illust. ac Generos. Domini) denuò quasi redivivum restituo, & quibus plura plurima debeo, offerens, dono, dico ac dedico.

Cùm enim à multis jam annis sal⁹ mihi vestra, ut Medico,

dico, commissa fuerit, atque hoc quidem medicamentum vobis jam dudum familiare factum ad vitam tutandam, morbos cùm profligãdos, tùm antevertendos, ideoque diutinam incolumitatem præstandam studiosè simul & artificiosè sit cõparatũ, non potui, nec volui alijs quàm Vobis Illust. ac Generos. Domini, id muneris offerre, cujus beneficio Vos salvos diutissimè vivere optarẽ ac incolumes ad longam ætatem perseverare vellem,

lem, ſperans, vos nõ muneris quantitatem, ſed offerẽtis animũ penſaturos, qui ea dat quæ habet, & hucuſq; dedit quæ habuit, potioraq́; dediſſet ſi habuiſſet, plura forſan quandoq; daturus, ſi plura ſit habiturus.

Ea propter, Illuſt. ac Generoſi Domini, me, meumque hũc fœtum ea, quæ vobis ingenita eſt, benignitate excipite, ac utrumque (prout & poteſtis ac ſoletis) humaniter & gratioſè fovete, Pharmacum veſtræ ſanita-

ti auxiliare ac summè idoneum in vestri (quod DEUS faxit) commodum & sanitatem, ideoq; optimam vitæ hujus partem tutaturi; Medicaminis porrò ipsius si non auctorem, saltem reductorem, vestram in protectionem accepturi. Augustæ Vindelicorum, Primo Martij. 1622.

Illust. ac Gen. D. V.

Ad prompta servitia paratiss.

Raymundus Minderer,
Med. Doct. & Reip. Aug. Physicus.

Ad

AD CLARISSIMVM D. RAYMVNDVM MINDERER, M.D. de Repub. Asclepiadarum passim præclarè meritum,

Amicus.

O Decus Phœbi Vrbis, & Orbis ingens,
Germen ô rarum Hippocratis fidelis!
Quis tuas Doctor celebrare laudes
Carmine posset,
Obstupent sensus, fugit omne robur?
Lingua mutescit, calamus laborat:
Cum tuos partus Medicos potenter
Dicere tento.
Inficit Pestis miseros ubivis,
Enecat cives gelido veneno,
Obvios sparsim legit, at voracem
Supprimis Arte.
Iamq; succurris patrijs ab oris
Incolis, extris panaceâ: Alexi--

Phar-

Pharmaco passim valido Cachectis,
Omine fausto.
Cedat hic tetrum genus invidorum
Zoili: cesset rabies nefanda,
MINDERER noster siquidem sub omni
Grandine crescat.
Nec magis linguas temerè strepentûm
Vana per somnum simulacra, quàm vel
Iam vigil, si fors eadem recurrant,
Somnia curat.
Macte? fuge Asclepiados liquores:
Dogmatis prisci documenta pande:
Dona virtutis, speciemenq́ laudis
Auctor habebis.
Interim vultu placido Camænam,
MINDERER (*nostra columen salutis*)
Quam tibi plectro cecini retuso,
Carpe Poëta.

R. F. P. Prior. S.C. Werdeæ.

AD CLARISSIMVM VIRVM D. RAYMVNDVM MINDERER Med. Doctorem, &c.

QVis tuas laudes sterili Camenâ,
Magne vir, tentet dare? te Machaon
Ipse Doctores numeravit inter
Vrbis & Orbis.

Dum tot ac tanti rutilant aperto
In foro libri medici, parente
Te sati, ostendit Medicina, quis sis,
Quantus Apollo.

Quando crudeli miseros in omnes
Morte bacchatur truculenta Pestis,
Tum vident Parcæ, medicis triumphes
Quantus in armis.


Ebriam doctis pharetram sagittis
Quando suspendis, trepidat per urbem
Turba morborum, veluti tenebræ
Solis ad ignes.

Mome quid gannis? mala Fama, dentes
Quid novos aptas? ferat æviterna

Penna,

Penna, quem rodis, tibi rumpat atrox
Viscera livor.
Vivat hoc nostrum Decus usq; & usq;
Minderer *vivat, tibi sit napellus,*
Atque quam nutris, teneas perennem
Zoile pestem.
Perge virtutis medicæ liquores
Spargere, ac pulchris recreare libris
Pectora: ornabit tua laurus olim
Tempora victrix.
Si minus de te, mea lassa plectro
Musa cantavit, patiaris audax
Illa dum mutet cytharam, atque de te
Tympana pulset.

M. JOANNES Drexel
Parochus in Ginder-
kingen.



Ad Dominum

RAYMVNDVM MINDERER Medicinæ Doctorem Reipub. Auguſtanæ Phyſicum, &c.

Vulgata & vetus eſt multis contentio, ſit ne
Miles vel Doctor nobilitate prior?
Exanimare pilis ſtudet is; fœliciter iſte
Paſsim vivaces dat pilulis homines.
Oedipus an Davus litem determinet iſtam,
Spondeo, primus honor cedet amice tibi.

JULIUS Schiller J. U. D. ac Reip. Auguſt. Advocatus.

IN



IN

ALOEDARIVM MAROCOSTINUM,

Auctoris ad Candidum Lectorem

PRÆFATIO.

Humanæ vitæ brevitatem infirmis fundamentis nixam ac perenni quodam Elementorum prælio constantem, inevitabilemq́ proindè moriendi necessitatem anxiâ dudum sollicitudine contemplata vetustas, in id semper studium incubuit, ut cum irremediabile fatum omnibus omninò ob eundum declinari non posse cerue-

ret,

ret, dierum saltem numerum vivendi quadam norma aut medicamentorum ope propagaret, sicq; temporis vitalis defluvium aliquantisper retardaret, moriendi verò necessitatem perendinatione quomodolibet facta procrastinaret: ea enim vitæ nostræ brevitas tam quidem fragilis & caduca fecit, ut in eius termini ignoratione ac dubia sollicitudine sanitatis studio cuncti ferè teneantur, & ea quæ conveniunt administrent. Vndè Poëta:

Mors incertarum rerum certissima: cunctis
In certum quando, certum aliquando mori.
Nullus ab occasu procul est homo, nullus ab ortu,
Nec tamen illius immemor hujus homo.

Etenim,

Cor nisi cura nihil, caro nil nisi triste cadaver,
Nasci ægrotare est, vivere sæpè mori.

Proindè rectè ac melius vitam humanam descripsisse videtur S. Augustinus his verbis in Origin. supra text. Iacobi 4. inquiens: vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant, aërea morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactitant, paupertas deijcit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & post hęc omnia mors interimit, universis gaudijs finem imponit, ita ut cum esse desierit, nec fuisse putetur, estque hesterna dies & crastina, quasi eadem. *Vnde Versus.*

Hæc quæ adest hodie quod nomen habebat heri? cras.
Cras hodie quod nam nomen habebit? heri.

Cras

Cras lentum quod adeſt nunquam, nec
abeſt procul unquam.
Quonam appelletur nomine? Cras,
hodie,

Fluit enim vita noſtra ut ventus, & tẽpora dierum noſtrorum præcipiti decurſu inſtar undarum celeriter ferũtur, quod notans Ovid. in Metamorph. temporis defluvium ſic ingenioſè deſcripſit.

Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecùs ac flumen; neque enim conſiſtere flumen,
Nec levis hora poteſt, ſed ut unda impellitur unda,
Urgeturq́ue prior veniente, urgetq́ue priorem,
Tempora ſic fugiunt pariter pariterq́ue ſequuntur.
Et nova ſunt ſemper, nam quod fuit ante relictum eſt,
Fitq́; quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur.

Proinde cum prisci vitam citiùs desinere quàm venire cernerent, ac ipsos infantes senectutē à tergo insequi observassent, remedia quædam excogitanda censuerunt, quibus vitam producerent, ac terminos illos, qui amputari penitùs nequeunt, extēderent. Aequiparatur tas anostra Rosa, quæ cum nascitur defluere incipit, etenim

Quàm longa una dies, ætas tàm longa Rosarum,
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

Breviùs Hieronymus citante Suida.

Verna brevi Rosa flore nitet, simul ille recessit,
Non Rosa quærenti, sed Rubus asper erit.

Asi-

Assimilatur huic vita nostra non immeritò, namque

Ut rosa manè viget, tamen & mox vespere languet,
Sic modò qui fuimus, cras levis umbra sumus.

Itaq; Philosophorum, omniumq; ad æternitatis ac immortalitatis memoriam adspirantium studium eò deflexit, ut vitam, quamdiu posset, tutaretur. Vixit Pythagoras centesimum decimum septimum annum aceti Scillini beneficio nulla unquam adversa corporis valetudine tētatus, nec Socrati septuagesimum ætatis annum agenti senile quid contigit. Cicero sexagenarius iuvenilia omnia retinuit. Diogenes intus melle, extra oleo perunctus à morbis securus in longam diem vixit. Cato octoagenarius de se ipso gloriari ausus fuit, quod senectus ipsum non afflixe-

rit, itemq́; quod ipſius vires nec curia, nec roſtra, nec amici, non clientes aut hoſpites deſideraverint. Noſtro porrò ævo Aloiſius Cornarus ad quadrageſimum annum valetudinarius, Diatæ beneficio ad nonageſimum ſeptimum uſq; pervenit. Plures cū vitā uſq; adeò produci poſſe agnoviſſent, cadavera à putredine vindicanda eſſe cēſuerunt, idq́; adeò illis curæ erat, ut corpora non niſi Balſamica virtute condita ſepelirent, quæ ad bis mille ferè annos integra ſervata ipſi conſpeximus.

Hanc ab interitu corpora tutandi normā ingreſſus pervetuſtus ille Ruffus Epheſius, medicamentum ex Aloe, Myrrha & Ammoniaco cōpoſitum peſti adverſaturum prodidit, quod Avicenna Rex Arabum aſſumpto Ammoniaci loco Croco nō nihil immutavit, gaudentq́; noſtra adhuc ſæcula tam præſtantis ac benefici medica-

menti

menti utilitate perfusa: cui Paracelsus ipsemet Galenicis medicamentis parum alioquin favens magnam salutis areā adscripsit, & Elixir Proprietatis ex his simplicibus elidens, humanam naturam salvam ad extremum persistere posse pollicitus est. Paratæ proindè dudum fuêre variæ salutis tutelæ ac auxiliares medicaminum structuræ, Antidotus Esdræ, Sal Sacerdotale, Theriaca, Mithridatium, Opopyra, Philonium, pharmaca priscis celebrata, artificibus immortale nomen adscribentia, quorum fama nulla prorsus delebili memoria unquam est interitura.

Priorum exempla secuti posteri in sanitatis tutelam non minus intēti, veterum inventa amplificanda, & in maiorē subsequentium utilitatem diducenda esse sunt arbitrati, inventis alia insuper invēta addentes, iuxta illud Martial. lib. 8.

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat, & in populum multa rapina cadit.

Habes hîc igitur, candide Lector, nostro labore partum hoc sanitatis Aloedarium ex simplicium quorundam medicamentorum ex omni ferè vegetabilum cẽsu delectam congeriem ea sanè ratione in publicum usum compaginatam, ut quid, quantùmve in conservanda valetudine, præcavendis ægritudinibus, vita humana proroganda, ac corpore nostro à præcoci interitu, vel præmatura corruptione tutando medicamina poßint, cernere queas, & his ipsis tutò, securè, ac fidentèr uti poßis, quæ firmis omninò rationibus fulcita non sine graviβimorum auctorum testimonÿs certificata huc adduximus.

Sunt

Sunt autem hæc ipsa simplicia, quæ ad Aloedarij huius structuram confluxerunt, non ex Animalibus aut eorum partibus, vel quæ ab ipsis desumuntur, neque ex Mineralibus aut Metallicis, sed ex meris ac solis vegetabilibus deprompta, eaq; lectissima ex unaquaque eorundem tribu seu specie selecta, ita ut Herbæ, Radices, Flores, Aromata, Ligna, Succi, Lacrymæ, Gūmata, ipsiq; adeo fungi ad medicamenti huius apparatum ex sua qualibet familia quidquam contulerint, quando ex omnibus quod præstantissimum erat, aut cum nobilissimo æquiparari potuisset, in hanc œconomiam deductum fuit, siquidem quodlibet sua ex classe præcellentissimū (utpotè ex Herbis Marum, ex Lignis Agallochum, ex Aromatibus Costus, ex Lacrymis Myrrha, ex Floribus Crocus, ex Resinis Ammoniacum,

ex Radicibus Rhabarbarum, ex Succis Aloe, ac deniq; ex Fungis Agaricus) in hac comitia demigravit, solis fructibus seminibusq; exceptis, quæ suum quoq; locum aut ipsamet per se sunt habitura, aut alijs commissione data fidem præstitura.

Et hæc quidem Raymundus vester, iam fermè inclinans ac rerũ numerosa vicissitudine defessus, licèt adhuc iuvenis videri possit, attamen laborum onere senescens posteritati subiunxit, ut quibus medicamentis ob temporum & negotiorum importunitatem commodè quando uti sibi non liceret, universa tamẽ civitas per occasionem gaudere posset, Aloedariũ hocce in patria usum & Physici memoriam offerens, ac cum Mantuano exclamans:


Turne quod optanti divûm promittere nemo
Auderet, volvẽda dies en attulit ultrò.

Quod

Quod si DEVS Opt. Max. vitam ac salutem dederit, recusum de Pestilentia libellum meum, eundemq́ auctum ac locupletatum adiecto indice, & addita simul de febre porphyroide seu petechiali appendice mox spectabis: tum & alio volumine conscriptas iam Medicinæ lugentis threnas ac vindicem innocentis artis Apogiam brevi es habiturus; interim hoc donario nostro vtere, fruere & vale.

❧†❧





Caput Primum

ALOEDARII MARCOSTINI;

Seu

PILLVLARVM EX MARO, COSTO, ET Aloe confectarum Descriptionem genuinam continens.

℞. *Mari veri.*
Croci Orientalis ana, drachmam unam.
Agarici troch.
Costi Indici acris.
Myrrhæ selectæ ana. drachmam unam semis.

Ammoniaci thymiamatis in unguem concreti, drachmas tres.

Rhabarbari exquiſitiſſimi, drachmas ſex.

Ligni Aloes, ſcrupulum unum ſemis.

Aloes Soccotrinæ, uncias tres.

MODVS PARANDI HIC SIT.

OMnium primò Ammoniacum thymiama in ſufficienti quantitate aceti Scillitici tenuitèr diſſolvatur, cui mox jungatur Myrrha aceto Rutaceo diluta. His ambobus admiſce Aloën in uncijs ſex Muchari Roſarum perfecti, ſitu defæcati, colati, & tranſlucidi, ac uncijs quatuor ſucci Limoniorum aut Citri diſtemperatam. Ubi hæc ſimul probè unita fuerint, in oxypicra hac ſolvito

Aga-

Agaricum & Rhabarbarum, vtrumque priùs aqua Cinamomi irroratum, ex quibus Agaricus in succo Apij, Fæniculi & Absinthij, Rhabarbarum verò in succo Cichorij, Pimpinellæ, ac Fumariæ priùs in formam tenerioris pulticulæ dissolutum sit. Tum verò Crocum, Costum, Lignum Aloës, ac Marum in æquis partibus aquæ Rosarum odoratissimæ, ac succi Citri recentis diluta medicamini adhibeto, & omnibus simul probè mixtis affunde in cucurbitam vitream.

Aq. Lupuli,
Boraginis,
Betonicæ,
Cardui Benedicti, ana uncias quatuor,
Agrimoniæ,
Iva Arthetica,
Centaurij minoris,

Rorismarini.
Cerasorum nigrorum, ana
uncias quatuor.

Stent in infusione probè tecta, loco calente, vel in Balneo B. Mariæ rorido per triduum: postea quod clarum supernatat, per inclinationem separatum filtro diligenter transmittatur, ac cucurbitæ indatur, abstrahaturque ab eo in Balneo omnis humiditas, donec extracti spissitudo in fũdo crassioris mellis instare resideat, quæ levitèr postmodùm exili calore penitùs exiccetur, ut in pillulas effingi queat. Fæcibus relictis abstractus humor rursus affundatur, ut residuum tincturæ extrahat, quod ubi factum fuerit, massa omnis leviter exprimatur, ac per rarum linteum transcoletur, pareturque exindè lege artis extractum secundum, ut priùs in usus pilulares asservandũ.

Arti-

Artificis nunc indefessi negotiũ ut assurgat necesse est, dextrum enim & affabrem compositionis formatorem medicamentum hoc desiderat, à cujus comparatione plures aut artificij industriâ, aut laboris sedulitate perterriti formidavêre, relicto interim medicamine nihil hominibus solatij præbente, ni doctus id & peritus Pharmacopæus astruat. Est autem ita Pilularum harum structura delineata, ut ne minimus quidem error in Aloëdarij hujus præparatione committi facilè possit. Etenim Ammoniacũ omniũ primò aceto Scillitico dissolvi postulat, ut protinus diluatur, ac tenerrimè distractum cæteris jungi possit. Confunditur huic Myrrha aceto Rutaceo diluta, ut Gummata & lachrymæ propaginis quadam sorte sibi familiares ac propinquę citiùs coalescant.

ſcant. His Aloë in Roſaceo Mucharo diſſoluta, ut ſuccus Reſinis vicinis jungitur, cui ſuccus Limonum ad calorem eius temperandũ miſcetur, cum Ammoniacũ Bdellij locum ſuppleat, & vitia hæmorrhoidas exacerbantia temperet. Nunc verò Agaricus & Rhabarbarum (hoc quidem jecori, illud pulmonibus ac pectori profuturum) ſuis ſuccis perfuſa, de quibus poſteriora Capita rationem ſunt reddiTura, compoſitioni iunguntur, ac tandem Aromata quaſi ſales aut condimenta quædam, Crocus nimirum, Coſtus, Xyloaloë ac Marum ſuis quoque liquoribus madefacta compoſitionem perfectura ingrediuntur.

Liquores affuſi, qui vim omnem medicaminis aut præcipuam ſaltem prolexêre, non ſunt prima vice

vice aliter nisi sola inclinatione transcolandi: ubi autem extillatione facta pharmaci cremor in fundo resederit, transtillatus humor prioribus fæcibus redditus residuum virtutis extrahat, cui post colaturam factam levis quoque expressio concedenda, & abstracto liquore chylisma lege artis in cucurbitæ area cogendum, cujus quidem dosis dupla esse poterit; est enim prioris extillationis posterior pedissequa, licèt non minus in effectu valeat, dummodò id quod in subtili virtute prioris extractionis secundæ deest, duplicatione ponderis in secunda resarciatur.

Aloëdarium autem istud cum non commodius quàm pilulari forma effictum ventrem intrare queat, idcircò eadem effigie idipsum præstamus integrum, nullis alio-

alioquin tam acerba & amara si aliter ageretur voraturis. Tu autem candide Lector, hæc quæ in præsenti scripsimus, tibi data reputa, ubi ne scrupulum quidem sine ratione, experientiæ autem expertis ne tantillum quidem comperies: attamen tuo consiilo hæc ipsa castigare & emendare poteris, si meis curis labores tuos subjunxeris.

Nec sunt suo honore fraudandi cæteri, qui similia Aloëdaria longo ac fælici usu comperta, in communem usum transtulére, inter quæ excellũt Pillulæ Angelicæ Nobilis & Clarissimi Viri Domini D. Baieri Francofurdensis, itemque Balsamus Aloëticus Quercetani, nec non massa pilularis à Venetis olim ad nos deportari solita, quæ iã modò in urbe hac nostra dextrè parari consuevit. Verùm cedunt hæc

hæc omnia in Dei omnipotentis honorem ac proximi utilitatem, dignum enim & iustum est, ut largitor omnium bonorum per opera manuum suarum laudetur ac benedicatur, cui honor in sæcula.

Caput Secundum.

DE MARO.

MArum, Græcis Μάρον, herba est surculosa, flore Origani, sed folijs multò candidiorib⁹, flore odoratiore natura Sisymbrij, subastringẽs, & modicè calefaciẽs, prout Dioscor. lib. 3. cap. 4. Oribasius l. 11. Collect. Medicinal. in litera M. plurimam eam ad Magnesiam & Tralles nasci scripsit. Est porrò Magnesia Plinio lib. 5. Nat. hist. 29. auctore, Mæandri cognomine insignis, in Ionia à Thessalica.

Mari natales.

lica Magnesia orta quindecim millia passuum ab Epheso distans. Marcellus Virgilius Marum sisymbrion esse voluit, Hieronymus Tragus sylvestrem Majoranam, Manardus Sampsuchi speciem non iniquè arbitratur, Avicenna Marrhubium, Apiastrum seu Melissophyllon & Buglossam confundere videtur. Attamen reverâ Marum Amaraci species est nobilior, unde aliqui Amaracum Maioranam magnam, Marum verò alteram nobilem & quã maximè odoratam statuerunt. Hac de re Galenus lib. 1. de Antidot. in confect. Magmatis Hedychroi sic scribit : *Hæc autem Hedychroi Magmatis conficiendi ratio, veluti diximus, ab Andromacho per manus multorum ad nos usque pervenit, nam quas alij conscripsère, aliqua in re ab hac nostra differunt, quæ siquidem*

Ha-

Hedychroi descriptiones ab alijs traditæ sunt, qui medicamentorum experientiæ dant operam, rerum iniectarum pondere ab hac evariant, aliæ verò neque Marum, neque Amaracum prorsus habent, quædam alterutrum tantùm continent, neque enim duo hæc vnguentarij omnes noscunt, eò quòd herbas solùm Cretæ aduectas emant & earum semina atque succos. Ego verò & has duas herbas scio in Asia nasci, ac in alijs quidem regionibus raras esse, sed in Cyzico frequentes. In Italiâ quoque ut alias quasdam herbas, ita & Amaracum vidi, qui odore multùm à Maro superatur, Marum enim valdè redolet. Hæc Galenus. Galeni locus de Maro lib. 1. de Antidotis.

Aromaticam hanc herbam pluribus ijsque præclaris dotibus insignem esse non odor modò, sed & sapor eius patefacit ac ostendit, eam autem inter Cephali-

ca

Mari vires. lica medicamenta haud quaquam postremum locum obtinere quisquam censeat, conducit hæc enim vel assũpta, vel masticata morbis cerebri frigidioribus, Apoplexiæ, Paralysi, Spasmo, Vertigini, Tetano, sensuum obfuscationibus, & id generis malis, quibus egregiã suâ vi potentèr resistit, aurium dolores ac sonitus tollit, pituitam à capite detrahit ac cerebrùm abstergit, spiritusque animales reficit ac redintegrat. Aperit insuper, attenuat, digerit, roborat, & anhelandi difficultatem expedit, stomacho quovis modo vel assumpta, vel admota salutaris, ac pectoris morbis adversa. Quin etiam hæc ipsa jecinorosos, hepaticos ac lienosos adjuvat, præterquam enim, quod obstructiones viscerum aperit, ea ipsa roborat ac firmat: uteri præterea frigidis malis succurrit

currit & flatus crassos sive in intestinis, sive alibi in corpore oberrarint, dissipat, auxiliatur proindè ijs quos tormina vexant, aut qui Colicæ tormenta patiuntur; incipientem hydropem tympanitida prohibet, ac ijs quos urinæ difficultas tenet, opem fert, potestque ea omnia longè potentiùs, quæ Majorana nostra (quæ à Maro denominationem duxisse videtur) efficere valet.

Habet sanè Marum omnes Amaraci vires, quas Poëta sic carmine complexus est.

Torrida si nervis & Amaracus apta cerebro,
Hanc sitiens semper non minus optet hydrops.
Vrina & tumidis reserat spiracula ventis,
Hanc cui sit matrix ægra puella colat.

Itaque

Marii qua de causa Aloedario huic sit inditum.

Itaque & Marum ex omnibus plantis nostro singulari delectu Pilulas has adornat, quibus vires jam commemoratas tribuit, herbula capiti, pectori, stomacho, intestinis, vesicæ, utero, ac nervosis partibus prospectura, & partes præcipuè animales roboratur, cui & natura amaritudinem quandam eamque aromaticam indidit, cujus dote putredinibus non minus resistere potest, corpori humano ruinam minaturis.



Caput Tertium.

DE COSTO.

CVm variæ Costi species, colore, sapore, ac nativo solo, aut patria seu regionibus, in quibus

bus is nasci traditur, differentes ab auctoribus diversim descriptæ legantur, fueritque hucusque magna inter Medicos lis & controversia de legitimi Costi notis, & quibus indicijs verus à falso dignosci posset: operæ pretium erit, quisnam verus Costus sit, Dioscoridi quondam agnitus, disquirere. Extat enim Costus Arabicus, Indicus, Syriacus, itemq; peregrina alia forsitan Helenij Comaginei radix pro Costo sæpiùs divendi solita, quam præfatus Dioscorides pro Costo emptoribus fraudulentèr obtrudi, ac pro vero Costo supponi scripsit lib. 1. cap. 15.

Diversæ Costi species.

Duplicem hucusque Costum officinæ Pharmaceuticæ tenuerunt, dulcem nimirum & amarum, cum interim nemo videat, quomodo Costus aliquis dulcis esse queat, utpote in quo insignis amari-

Cost' officinarum duplex.

maritudo & acrimonia desideretur, & is à mordicitate commendari soleat, prout versus sonat.

Nardus odore beans, & mordens Costus Ammomum.

Versiculorq; Aloës lignum. &c.

Omnis Costus ut amarus sit necesse est.

Itaq; fatuam quandam radicem, & sapore vel acrimonia carentem pro dulci Costo nonnulli hucusq; coluerunt, quòd si autem notas eas, quas Dioscorides in vero Costo requirit, diligentèr expendas, omnem certè Costum amarum esse debere deprehendes: complures hæc indicia in Costo requirentes Zedoariam majorem pro Costo Syriaco assumpsêre, quam etiam nos ipsi olim loco Costi veri paulò minori efficacia Theriacæ indidimus. Duravit autem hæc cum errore controversia tamdiu, donec per longas & prolixas maritimorum itinerum fatigationes, verus

Zedoaria maior pro Costo substituta.

nobis

nobis Coſtus à paucis nunc annis innoteſceret, quo nunc abundè gaudemus, omnes eas notas habente, quas Dioſcorides loco citato clarè deſcripſit: eſt enim eximiâ odoris ſuavitate præditus, candidus, levis, amarus, acris, & aromaticus; Hunc præſtant navigia, ſed corticis magis quam radicis ſpeciẽ præ ſe ferentem, eſt enim ad modum Cinamomi in cannas convolutus, denſior tamen ipſo Cinamomo ac durior, & ex paucâ flavedine albicans. Eum primo intuitu vulgus Cinamomum candidum aut Cancellam albam dicit, adeò ut Germani quoq; eum albũ Cinamomũ nominare hucuſq; ſoleant, cum dicunt Weiſſe Zimmetrinden. Veruntamen tam amarus & tam acris eſt hic Coſtus, ut eius mordicationem lingua maſticâtis vix ferat; præterea tam odorus ac ſapidus,

Coſti veri deſcriptio

ut omnium aromatum ſapores, ac odores in ſe contraxiſſe videatur, habet enim acrimoniam cum Zingibere & Caryophyllis, amaritudinem cum Zedoaria & Calamo, fervorem cum Pipere, fragrantiam cum Caſſia lignea & Cinamomo communem, quorum omnium ſapores ac odores manducanti exhibet, à nullo vel vix ullo aromate hucuſque ſuperatus. Quondam optimum Coſtum ex Arabia delatum fuiſſe Dioſcorides innuit, qui nunc in multis Indiæ locis, præſertim verò in Guzarate, & circa Amadabar, quæ in deſertis ſita eſt, naſcitur, licêt etiam olim ex India, verùm nigricans, fuerit delatus. Vide Garziam ab Horto lib. 1. cap. 35. Gal. 7. Simpl.

Coſti natales.

Huic igitur Coſto (cui ob notas omnes ab auctoribus priſcis ipſoque Galeno deprædicatas inſignes

ac

ac varias quoque vires inesse quilibet eius usum expertus agnoscit) meritò in præparatione hujus medicamenti fiduciam habemus, is enim præter alias insignes dotes potenter calefacit, unde flatus crassos promptè discutit, segnitiẽ coctionis emendat, ciborum in ventriculo corruptionem prohibet, colicos dolores à frigore, aut flatibus profectos placat, quin & uterinis malis auxilio est, menses & urinas ciens: viperarum morsibus, ac venenis adversatur, ut proinde antidotis conficiendis semper fuerit idoneus, & summoperè ad horum cõfectiones expetitus. Pectoris inflationes ex absinthiaco haustus tollit: valet etiam ad rupta & convulsa, ac ventris insuper tineas pellit, nec non nervorum resolutiones illitu persanat. Eo veteres corpora ante febrium accessiones

Costi vires.

perungere sunt soliti, ut corporis habitus hac unctione calescerent, rigores verò nitescerent.

Eum igitur in compositionem nostri Aloëdarij adduximus, ut non modò eximias suas vires medicamini huic tribuere, sed etiã ut (quoniam nonnulla huic pharmaco purgantia, sed levia valdè ac tardè alvum moventia insunt) is eorũ actiones exstimularet, ac suscitatos ab horum commotione flatus discuteret ac carminaret, quem adeò modestâ dosi medicamini huic indidimus, ut calefacere quidem, sed adurere nihil queat, quo modo eũ crudis ventriculis ciborum coctionem respuentibus suprà modũ auxiliaturum, ac intestinis distentis & exsufflatis præcipuam opem laturum cõfidimus, quod ipsum experientia ducti hucusque in usu Aloëdarij observavimus.

Cur Costus huic Aloedario inditus.

Cap.

Caput Quartum.

DE CROCO.

CRoc⁹, quē Callimachi Scholiastes παρὰ τὸ ἐν κρύει θάλλειν ideò quod brumâ vireat, ſic dictum arbitratur, flos eſt plantæ cuiuſdam è bulboſa radice, folijs Tragopogoni, anguſtioribus verò & numeroſioribus humi cubantibus poſt æquinoctium Autumnale emergens, Colchico Ephemero haud abſimilis, cujus flammea ſtamina in medio floris emergentia inſtar Antheræ primam inter flores laudem meruerunt. Huius varia ſunt genera natalis ſoli diſcrimine ſolummodò differentia, eſt enim

Croci deſcriptio.

Croci patriæ diverſæ.

Crocus Corycius, qui olim optimus habebatur, à Coryca, quæ promontorium Cretæ & portus Æthiopiæ est, ut Stephanus innuit, denominationem habens, cujus Martialis meminit hoc versu,

Crocus Corycius.

Vltima Corycio, quæ cadit aura croco.

Specum ibidem Corycium aut Corycum, quem Nymphæ incolerent, extitisse, veteres memoriæ prodiderunt, unde & Corycides Nymphæ dici solebant. Gal. in carmine Theriaces Androm. lib. 1. de Antidot. Crocum Corycium sic commendat.

Hinc superest Myrrham Costumq́ specuq́ revulsum
Corycio, fragrans imposuisse Crocum.

Ovid. 1. Metamorph. Corycium antrum Parnasso monti (qui bivertex

vertex dicebatur) adſcribere viſus eſt, cum ait:

Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus Parnaſſi deſcriptio
Nomine Parnaſſus, ſuperatq; cacumine nubes.
Hic ubi Deucalion, (nam cætera texerat æquor.)
Cum conſorte thori parva rate vectus adhæſit,
Corycidas Nymphas et numina montis adorat,
Fatidicamq; Themin, quæ nunc oracla tenebat.

Secundam bonitatis laudem merebatur Crocus Lycius ex Olympo monte decerptus, dein Cyrenaicus ex Cyrene, tum verò Centuripinus ex Sicilia petitus, inde Aquilanus ab Aquila Veſtinorum urbe adferri ſolitus: nunc præſtantiſſimum Orientalem nominatum Germania noſtra ex Auſtriæ & Pan-

Croc' Lycii', Cyrenaicus ac Centuripinus, itéque Aquilanus.

Crocus Auſtriacus.

Pannoniæ seu Hungariæ finitimis regionibus nobis suppeditat. Est & Crocus διάλευκος, in medio pallidus, sed minoris efficaciæ ac effætarum virium, ut enim Crocus saturato rubore turgeat, & abundè tingat, necesse est: unde forsitan sanguis Herculis putatus est, ut est, apud Dioscorid. lib. 1. cap. 25. Colorem eius tangit Virgil. 4. Georg. inquiens:

Crocus sanguis Herculis putatus.

Et glaucas Salices, Casiamq; Crocumq; rudentem.

De Croci diversis generibus aut potiùs speciebus ita Plinius lib. 12. cap. 6. *Prima nobilitas Cilicio Croco, & ibi Coryco monte, dein Lycia monte Olympo, mox Centuripino Siciliæ. Aliqui Phlegræo secundum locum dedere. Gaudet radix eius calcari & atteri pede, pereundoq; melius provenit*, hæc Plinius. Unde carmen.

Pulchrior ut creſcat, teritur Crocus ô furor ingens?
Lætior ut poſſis ſurgere, velle premi?

Eſt & Galliæ Narbonenſis regio Croci fertilitate celebris, qui olim ex Ægibus Ætoliæ copioſus aſportabatur. Vide Herodot. lib. 8. Dionyſ. l. 1. Antiquit. & Strabonem lib. 9. Ciliciæ huic, ex qua regione laudatiſſimum quondam Crocum petitum eſſe Plinius loco iam citato innuit, quæ à Cilice Agenoris filio ſic dicta eſſe creditur, præfuit olim Cicero Prætor. Qua ſuper re lege Herod. lib. 7. Plinium, Ptolomæum lib. 5. cap. 8. Strabonem, Ammianum, Solinum, & R. P. Raderi Societatis Jeſu doctiſſima & accuratiſſima in Martialem Commentaria, præſertim ad Epigram. 3. lib. ſpectacul. ſeu Amphitheat. Cæſ. quod veteres ſparſionibus ex Crocus Gallianus.

Croco paratis irrorare ſunt ſoliti: quam quidem ſparſionem Græci *κρόκον ῥαινόμενον*, Latini verò, imbrem odoratum ex aqua (ut eſt apud Apuleium & Antonium Muſam apud Senecam) aut vino, in quo Crocus diluebatur, paratum dixêre. Martialis hanc aſperginem, quæ ſpectatores velut imber irrorabat, nimbum vocavit loco citato, cum dixit:

Aſperginés ex Croco paratæ.

Feſtinavit Arabs, feſtinavere Sabæi,
Et Cilices nimbis hîc maduere ſuis.

Et alibi:

Lubrica Corycio quamvis ſint pulpita nimbo.

Ad quod item Poëta alius alluſit hoc carmine.

Hoc rogo non melius quàm rubro pulpita nimbo

Spar-

Spargere & effuso permaduisse Croco.

Erant enim in amphitheatris, circis, ac etiam ſtatuis occultæ quædam fiſtulæ ſeu tubi hinc inde ea arte diſpoſiti, ut odoros liquores leniter in ſpectatores ſubinde ejacularentur, eoſque ſuaviſſimi odoris aſpergine irrorarent, ut odoris gratia perfuſi recrearentur & hilareſcerent. Ovidius liquidum crocum, Propertius ſollemnes crocos & preſſuram croci vocavit. Qua de re vide ſupra citat. R.P. Raderum lib. 5. Epigram. 26. fol. 368.

Galenus fabulam narrat. l. de Compoſ. med. de Croco puero, cujus ſanguis in hunc florem verſus ſit. Ejuſdem etiam meminit Ovid. 4. Metamorph. Fabulæ Croci.

Et Crocum in parvos versum cum
smilace flores.

Aliqui scribunt Crocum Adolescentem à Mercurio in disci ludo, illapso in caput adolescentis disco interfectum, & ex eius sanguine florem natum, unde Camerar. in Carmine.

Flava sunt comæ iuvenis beneolentia fila.
Fuso ab Atlantiada nata cruore Deo.

Et Philo Tarsensis Philosophus & Medicus antiquissimus, in suo Medicamine, quod Philonium Tarsense inscribitur, Crocum metaphorica locutione sic indigitat, ac rectè fabulam involuit, inquiens:

Spirantem & rutilum pueri crinem accipe, cuius
Mercurij in plantis sanguinis unda micat.

Ex Croco veteres varia remediorum genera parare consueverunt, variæ enim apud auctores leguntur unguenti Crocini, item & Crocomagmatum descriptiones, de quibus vide Æginetam lib. 7. cap. 12. Dioscorides unguento suo Crocino calefaciendi, somnum alliciendi, pus movendi, ulcera purgandi, uterinas præclusiones reserandi, concoquendi, emolliendi, humectandi, & permulcendi vires attribuit, quod tamen aliter quoque Paulus loco citato componi scripsit. Quoad Crocomagmata, Galenus 2. de Antidot. Crocomagma sic describit. Medicamenta veterum ex Croco parari solita.

Crocomagma si habere bonum cupis,
Misceto diligenter hæc cuncta simul:
Primum Cilicij drachmas centum Croci,
Myrrhæ dimidium pinguis, inde Rosa

Crocomagma ex Galeno.

Tan-

Tantundem siccæ; post amyli candidi,
Et gummi drachmas bis quinq, & viginti.
Cuncta hæc tusa atque excussa bene,
Vino Coo insperge parum,
Vbi satis maduerint, finge rotas,
Sicca, utere ut bono cum opus fuerit.

Sed longè aliter Damocrates in versibus, quam descriptionem Aëtius quoque habet lib. 2. cap. 196. & lib. 6. cap. 50. Mesue suos quoque componit trochiscos Crocomagmatis. Optimum id Crocomagma esse scribit Dioscorides, quod odoratum foret, modicè myrrham olens, grave, nigrum, ligni expers, leve, subamarum, quod Croci colorem redderet, gustatumq; vehementer linguam ac dentes inficeret, colore aliquot horis

Optimum Crocomagma.

horis permanente, quale quod ex Syria deportabatur, erat. Poëtas etiam Croco elegantiam tribuisse patet ex lib. 1. Æneid. ubi Virgil. elegantem vestitum describere volens ait:

Et circumtextum croceo velamen acantho.

Sunt qui Trochiscos Hedychroos ob grati jucundique coloris energiam sic appellatos existiment, unde Galen. lib. 1. de Antidot. in carmine Theriaces Andromachi ad Neronem de Hedychroo,

------ tantum medicaminis eius,
Quod grati nomen magma coloris habet.

His adstipulatur Maranta Andromachum de Hedychroo loquentem habens fautorem eo carmine, quod habetur lib. 1 de Antidot. cap. 17.

Hedychroum magma lætocolore perfusum dicitur, ob Crocum qui ingreditur.

Magma quod Hedychroum læto dixere colore,
Aspalathi drachmis Asariq; Mariq; duabus
Constat, nec plures attollit Amaricus illis,
Tres calamus, latè suaves qui spargit odores,
Tresq; Arabum passim qui crevit Iuncus in arvis,
Tres Costum redolens, tres toto cognita Ponto
Phu quibus æquale fragrantia Cinnama pondus.
Et lachryma & sarmenta dabunt, quæ Balsamus edit.
Rursus sex Folium drachmas, sex Indica Nardus,
Sex Casiæ Calami, sex Myrrha gutta levabit,
Sexq; Croci flores, bis sex attollet Amomum.

Masti-

Masliche solidam tantum trahet ultima drachmam.
Omnia tu vino simul hæc coniunge Falerno:

Aliàs Crocomagma ungũeti Crocini fæx fuit, & retrimẽtum quod unguento ex Croco & reliquis Aromatibus expresso supererat, ac in pastillos cogi, & in multos annos ad varios usus utilitèr asservari solitum fuit. Erat & celeberrimum quõdam Crocomagma Mendesium in Ægypto (ubi Mendes colebatur) inventum, quod ab Ægineta lib. 7. capit. 20. describitur. Constabat id oleo Balanino, Myrrha, Cassia, Terebinthina & Cinnamomo, ubi & oleum Crocinum describitur. Verùm porrò Crocomagma (ut ex Galeno colligitur) quod ex Damocratis traditione parari consuevit, cõficitur ex Croci drachmis viginti quinque, Myrrhæ

Crocomagma Mendesium.

rhæ & Rosarum ana drachmis duodecim semis Amyli, Gummi Arabici ana drachmis septem semis cū vino Chio in pastillos formatis. Vide Pharmacopœam Augustanā in classe Trochiscorum fol. 157. ubi & Trochisci de Croco Nicolai, ex Croco, Rosis, semine Ammeos, Myrrha & ligno Aloës parati describuntur.

Trochisci de Croco Nicolai.

Atque hæc de Croco obitèr dicta sint, nunc vires eius examinemus, & quid de eius virtutibus non prisci solùm sed & neoterici senserint, audiamus. Nonnulli eum supra cælos locarunt, ut qui sub Jovis dormientis capite quandoque emicuerit: alij eum catalogo venenorum certa tamen dosi adscriptum, infamem nonnihil reddiderunt. Hinc Dioscorides cap. 25. lib. 1. de Croco sic scribit: *Lethalem Crocum dixerunt, si trium drach-*

Croci vires ex

*drachmarum pondere bibendus detur; sed quod verum sit, maturat Crocus, mollit, leniter adstringit, urinam cit, & amabilem coloris bonitatem facit: arcet idem crapulam cum passo potus. Inungitur contra oculorum destillationes, sistitque eas ex humano lacte inunctus. Miscetur praeterea utiliter potionibus contra * intrinsecas. Miscetur & his, quae foeminis priuatim ad locorum suorum & in utroque sexu sedis vitia subyciuntur & illinuntur. Venerem stimulat, sacrorum ignium inflammationes inunctus lenit.* Hæc Dioſcorid. Galen. porrò lib. 2. de Comp. med. ſecund. loc. Crocum lætitiam adferre atque ob id medicamentis cordialibus dextrè ac meritò indi ſcripſit, cui vim quandam emplaſticam ac concoquentem lib. 7. med. ſimpl. attribuiſſe legitur. De eodem hor-

Dioſcoride.

* interranea.

hortus philosophicus: *Crocus ita recreat cor, ut digito annulari sinistra manus affrictus confestim ad cor penetret, tanta est illi cum corde societas.*

Crocus cordiale est medicamentū.

Sanè Crocus præcipuè cor roborat, venenorum & pestis contagia arcet, unde extat Electuariū de Croco & Ovo Imperatoris. Icterum quoque pellit, ac urinam & menses evocat, memoriam fulcit, coctionem promovet, partus adjuvat: pectori, pulmonibus, jecori, vesicę & ventri dolenti prodest. Inditur colyrijs oculorum rheumata curantibus, tumores duros, ac inflammationes reprimit ac dissipat. De hoc Baptista Fiera in Carminibus medicis.

Fama vetus taceat, cedant pulmenta Luculli,
Cana coronata est plenior ista Croco.

Hic

Hic Cilices redolent ignita cacumina florum
Rubra, ferunt cordi gaudia summa tuo.
Si mala sunt capiti segnes ducentia somnos,
Illa decor, stomachus, tristeq; pectus amant.
Si bibit ista vorax poterit torpere palatum
Ieiuna hæc verita est sedula causa famis.
At ventrem oblectant, vulvam, reserantq; tumentem,
Hæc ede, si risus expetis assiduos.

Auget enim in tantum spiritus, ut præ lætitia homines nimio eius usu necare putetur, præ cæteris verò familiaris admodum pectori existit, unde Cardanus in consil. de spirandi difficul. ait, *crocus est anima pulmonis, & eo solos multos liberavi* Crocus pectori familiaris.

ravi anhelosos, inter quos socrum Cæsaris de Comitibus, quæ tantam passa erat per duos menses spirandi difficultatem, ut intra paucas horas moritura videretur. Est revera Crocus adeò thoracis affectibus amicus, ut sint qui ad scrupulum semis atque etiam unum cum dimidio Moschi grano, & vino optimo calido propinando, asthmaticos curaverint, prout testatur Joachimus Camerarius in horto de Croco.

Itaque & Crocus meritò in his nostris Pilulis subsistit easque condecorat, quem & Ruffus Ephesius & Avicenna in pilulas Pesti adversaturas adduxerunt. Is enim humores citra motum aut agitationem rectificat & complanat, nil quidquam inflammans, spiritus interim puros, ac lucidos reddit, infirmos eosdem reficit, defe-

ctos

ctos restituit, abolitos regenerat, à quo cordi & pectori familiaris opitulatio, massæ verò sanguineæ depuratio ac humorum æquabilitas ad sanitatis symmetriam plurimum faciens, ac necessaria omninò expectanda & bona planè fide obtinenda, unde nec hunc ipsum Crocũ Pilulis his deesse voluimus eximias suas in his vires obtenturum.



Caput Quintum.

DE AGARICO.

AGaricus, Cedri aut Laricis fungus, ab Agaria Sarmatiæ regione nomen sortitus has quoque Pilulas cõdecoraturus accessit; is enim inter cardiaca reme- *Agaricus unde dictus.*

dia iam olim adnumeratus Dioſcoridi ac reliquis antiquioribus Theriacæ aut Alexipharmacis vires obtinuiſſe credebatur, quē nec Andromachus in magna illa ac ſolemni Theriaca prætermittendū cenſuit.: hunc igitur medicamētorum ad fabricam hujus noſtræ Hieræ pilularis confluentiū cenſus admiſit, vermes necaturū, cordi opem laturū, corporis habitum vegetiorem redditurū, colorem eius vividum prę́ſtiturum, turbidos ſuccos exhauſturum, ac inde vegetiorem hominem effecturum. Peculiariter verò Agaricus cerebri & pulmonum excremēta evacuat, viſcera exonerans, infarctus eorū expediens, obſtructa liberans, acidum ructantibus utile pharmacum, prout Ruffus ſcripſit; tutū præterea omni ætati remedium exiſtit, unde forſan Demo-

Agarici vires.

Democritus Agaricum medicinam familiæ dixit, quòd scilicet tutò ac securè quilibet inter familiares pro familiari, securo ac domestico medicamento eo uti queat, aut quia is tanquam paterfamiliæ (ut doctissimus Fallopius innuit) omnes partes juvet.

Olim Agaricus ex Sarmatia per Illyriam, & ex Galatiâ Asiam, & Ciciliâ Alexandriam atque inde Venetias devehebatur, quẽ inde mercatores petere, ac in Europam ferè totam distrahere solebant: nũc auctis ingenijs & ea quæ penè oculos sunt tandem cernentibus, Tridentini montes, Gallia Delphinatus, imò & Rhetorum, Noricorum Vindelicorumq; tractus eundem tam copiosè suppeditant, ut eum etiam exteri à nobis jam dudum petere didicerint. Agarici natales.

Eligatur autem Agaricus candi-

Agarici delectus. dissimus levissimusque, quem fœminam dicunt, sitq; is rarus, friabilis, primo gustu dulcis, mox amarus; etenim masculei sexus qui esse putatur, densus est & gravis ac pusillus, ad renis modum compactus, aut caudici arboris propè adnatus, à glandiferarum arborum fungis parum distans, quibus sclopetarij ad metam plūbeos globos excussuri ignem prodendæ flammæ idoneum excipiunt (vulgo Fewerschwam dictus) sed ad medicinas aut medicaméta quævis inutilis, cùm præsertim Ægineta lib. 5. cap. 64. Agaricum nigrum inter gravissima venena recenseat, ipsumque Veratro albo nec non Thapsiæ & Elaterio similem faciat, venenosum planè ac naturæ penitùs formidabilem. De hoc audiendus Mesue sic scribens: *Agaricus est ex medicinis*

magni

magni iuvamenti, cuius ortus est secus arbores magnas, quibus iam accidit corrosio & putrefactio. Et generatio est sicut generatio fungorum, propter quod quidam existimaverunt quod sit fungus, & videtur quod sic: & quidam dixerunt quod est sicut apostema factum per modum putrefactionis. Alius est masculus, & alius est fœmina. Masculus verò est malus, & est ille propriè qui est longus & niger, & gravis, & habens in confractis suis, sicut fila nervorum, & est durus & densus. Agaricus autem quem sapientes laudaverunt est fœmina, & est habens proprietates quinque bonas & propriè ut sit albus & levis, & velocitèr frangibilis, & porosus, & rarus valdè. Et ut appareat dulcis in primo gustu eius, deindè succedat ei amaritudo & stipticitas, & melior pars totius corporis est superior pars ipsius & stipes

Mesuæ locus de Agarico.

eius non est bonus habens quasi semitas ligni putrefacti, & corrosum ex eo est malum. Est calidus in primo & siccus in secundo, & est compositus ex substantia aërea posita in superficie ipsius, à qua primo gustu sentitur dulcis, & ex partibus terreis subtilibus dantibus ei stipticitatem, in quibus adhuc dominantibus igneis est in eo de amaritudine aliquid. Et ipse quidem est subtiliativus, incisivus & solutivus natura, & carminativus ventositatum grossarum, & aperitivus oppilationum omnium. Pauci nocumenti dixerunt illum, nisi quia imprimit læsionem in visceribus, debilitas ea, quare indiget permixtione abstergentium cum ipso, ut non profundetur eius virtus in ipsis totaliter, sicut dixerunt sapientes: verum est debilis & tardas operationes suas, inquit Dioscorid. Tarda est & debilis operatio, sed incolumis propterea, quod in ipso ex dulce-

dulcedine & stipticitate aggregantur partes convenientèr: verum vigoratur eius operatio, si addatur ei tertium ipsius sal gemmæ, & fiant ex eis trochisci cum Secaniabin. Et dixit Humain, Mellicratum iunctum ei vigorat operationem suam. Et dixit Hali. Si ex eius VI. parte ipsius Keisim aut Dauci & quarta ipsius Sal gemmæ fiant trochisci, cum viscositate Polypody recentis, fit mirabilis consecutio operationis ipsius ad ea quæ oportet. Et dixit Iudæus. Cum oxymelle squilliticomagnificatur operatio eius, & dixit adhuc. Aliquid virtutute acutum admixtum ei est ex addentibus virtuti ipsius. Et Galen. dixit. Fiant trochisci ex eo cum vino infusionis Zingiberis, in quo pulvis ipsius sæpè submergatur & fiet operatio eius completa. Et ex rebus sibi additis vigoràtibus ipsum est spica & aqua casei, propriè sumptæ ex capris, & scito, quod de decoctione

& trituratione rem sustinet mediocrem. Solutione educit phlegma grossum & choleram rubeam. Et dixit Galenus. Solutione educit utramque choleram & phlegma, & humores viscosos grossos & putridos. Et eius proprietas est mundificare cerebrum, & nervos, & membra sensuum & lacertos, & educere materias, quæ sunt in nucha & finibus eius: & mundificare pulmonem, & pectus ab humoribus viscosis & putridis: & mundificare stomachum, hepar, splenem, renes, matrices mulierum: & educere materias à iuncturis, propter quod vocavit Democritus Agaricum medicinam familiæ, quia ad singularum partium corporis commoditatem se habet, & valet ad omnes dolores intrinsecos corporis. Et est medicina mirabilis ad sodam antiquam, epilepsiam & vertiginem propriè: & confert etiam maniæ, melancholiæ,

&

& ægritudinibus & apostematibus cerebri. Et est medicinis bonis asthmati & difficultatibus anhelitus, ulceribus pulmonis & pectoris, & sanat dolores stomachi & viscerum. Et est medicina oppilationum & ægritudinum omnium, quarum mater est oppilatio, sicut est icteritia propriè & hydropisis, & grossities splenis. Et confert dolori hepatis iuvamẽtum manifestum, & splenis similiter & renum, & curat apostemata eorum. Et provocat urinam & menstrua, & mundificat matricem: & usu, eius aufert fœditatem coloris cutis, acquirens ei colorem bonum; & est ex medicinis educentibus vermes: & confert etiam Sciaticæ & doloribus iuncturarum & eius quidem iuuamentum ad febres antiquas diversarum materiarum, & ad tipum earum magnum est, & propriè cum eo quod convenit ex potibus. Eius contriti potio est à

drachma una usque ad drachmas duas : & in decoctione à drachmis duabus usq; ad quinq;. Conservatur autem per annos quatuor. Hactenus Mesues.

Neque verò solus adeò Agarico favet Mesue, & cùm Dioscorides eundem contra tormina, cruditates & rupta valere, nec non contusis & ab alto devolutis utilitèr exhiberi scripserit, quem quoque suspiriosis, arquatis, jecinorosis lienosisque, imò & dysentericis ac urinam ægrè reddentibus, deindè verò cacochymicis, toto corpore pallentibus, acida ructantibus, sanguinem spuentibus, stomachi dissolutionem patientibus, Comitialibus, ac Epilepticis, tabidis, & id genus alijs mirè prodesse docuit, hæc insuper addens, Agaricū venenorum esse antidotum, adeò ut si ser-

si serpentes ictum vibrarint morsumq; subfixerunt, mirum ab eo auxilium sit exspectandum. Subducit, & is coxendicis, Podagræ &Arthritidis fomitem pituitam, unde Poëta Franc. Port.

Si pituita parens Arthritidis humor in alvum
Sæpe ruat, pilulis quas condit Agaricus albens
Et reliquis quæ phlegma movent. ——

Purgat enim Agaricus pituitam, quæ nervis alioquin impingeretur eosque offenderet, crassum simul tenuemque mucũ licèt paulò segniùs, nisi aliorum adminiculo nitatur, evacuans. Hinc idem in Carmine.


Sin phlegma, aut flatus purgabit Agaricus albens
Infusus tenui citò vim reparante Lyæo.

nim quæ acria sunt, ut Zingiber aut Cinnamomum, cujus locum Costus in his Pilulis supplet, nec non Sal gemmæ, vinum, oxymel cum omne, tùm maximè Scilliticùm; veteres enim Agaricum cũ oxymelle præparabant, sed inde natus est error ex vocabulorum similitudine productus, cũ quædam Mesuæi exemplaria legant Tereniabin quod est Manna, cùm legendum sit Secaniabin, id est, oxymel, id enim vetat ne Agaricus ob lenitatem ventriculo hæreat, eumque vellicet, aut tardiùs intestina permeet.

Adesto igitur Agarice nostras Pilulas ornature ac efficaciores redditure, tu nobis caput, tu nobis asperam arteriam, pulmones, thoracem nervosque expurga; tu vermes sive hi lũbrici, sive ascarides fuerint, eijce, obstructa reclu-

clude, oppilata reſera, occluſas vias aperi, venenis reluctator: Lethargicos, Catalepticos, Vertiginoſos, Comitiales, Epilepticos, Incubo vexatos reſtitue, anheloſa ſuſpiria trahentibus liberiorem aëris hauſtum tribue, ſupprime ructus, ſive acidi, ſive amari fuerint, flatus carminato, ac ea quæ priſci de te polliciti ſunt fideliter ut familiaris medicina præſta, cum ex Larice putredinem non ſentiente tu putredinem arcens ipſe ſis reſectus omnibus internis viſceribus profuture.





Caput Sextum.

DE MYRRHA.

MYRRHAM arboris in Arabia Ægyptiæ ſpinæ ſimilitudine naſcentis lacrymã eſſe apud auctores convenit, hæc autẽ, vel ab inciſa ſtirpe in palmeas tegetes defluit, vel in arboris trunco concreta legitur: etenim quæ ſpontè emanat, ac ex ipſo caudice exudans ſtipiti gelata adhæreſcit, genuina & nobiliſſima eſſe meritò creditur, utpotè nullum adulteriũ perpeſſa, quam veteres Stacten dixêre, de qua in ſacris literis Exod. 30. legitur: *Sume tibi aromata Stacten, & Onychia & Galbanum boni odoris, & Thus lucidiſſimum, æqualis*

Vera Myrrha ſeu Stacte.

lis ponderis erunt omnia, faciesq́ thymiama compositum opere unguentarij, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum. Fuisse enim Myrrham olim ad unguenta quævis præstantissima expetitã, colligitur ex prędicto cap. mãdante nimirũ Domino Moysi, ut eam unguẽto sanctificationis adhiberet, cùm inquit: *Sume tibi aromata primæ Myrrhæ. seu spontè fluentis, & electæ, quingentos siclos, etc.* Est autem Myrrha prima purissima, unde in Canticis Cant. 5. c. *Labia eius lilia destillantia Myrrham primã*, utpotè probatissimam; quod epitheton etiam scriptura ibidẽ servat, ubi ita legitur: *Surrexi ut aperiam dilecto meo, manus meæ stillaverunt Myrrham, & digiti mei pleni Myrrha probatissima.*

Myrrham hanc primam ac probatissimam (priscis Stacten dictam)

Myrrha laudatiſſima.

ctam) veteres magno pretio conficiendis ferè quibuslibet unguẽtis idoneam redimebant; etenim, ut videre eſt apud Dioſcor. lib. 1. Myrrha ad unguentorum diverſorum & plurimorum comparationem expetebatur, eoq́; magis, quò laudatior hęc exiſteret & purior. Unde unguentorum, quorũ prioribus ſęculis frequens uſus erat, utpote Suſini, Narciſſini, Crocini, Cyprini, Irini, Amaracini, Metopij, Mendeſij, Cinnamomini, Nardini, Malabathriniq́; compoſitionibus Myrrha indebatur, adeò ut unguẽta (quæ Gręcis Μύρα dicuntur) à Myrrha denominationem duxiſſe videantur, quibus Archilochus Μύρου nomẽ impoſuiſſe creditur. Dioſcor. lib. iã citato cap. 62. Stacten forſitan à ſtillando nomen ſortitam ſic deſcribit: *Stacte vocatur pinguitudo*

Dioſcoridis de

re-

recentis myrrhæ cum exigua aqua tusæ & organo expressæ. Ea per quàm odorata ac pretiosa est, ac unguentum per se facit, quod Stacte nominatur. Maximè probatur quæ nullam olei mistionem admisit, cuius minima portio compos est virium plurimarum. Hucusque Dioscorides. Stacte nunc in Mecha Arabiæ ex Myrrha exprimitur.

Stacte excellentia.

Magnæ hæc semper ævis omnibus æstimationis extitit, quam & reges inter thesauros locarunt, ac inter donaria obtulerunt Dijs ac hominibus placandis instituta; etenim Plutarchus de Alexandro Magno scribit, quòd Leonidæ pędagogo centena Myrrhæ talenta miserit, ne parciùs rem divinam faceret. Et Jacob (*Genes.49.*) mãdavit filijs in Ægyptum profecturis, & annonam coëmpturis, ut ad obtinendam gratiam Josephi,

Myrrhæ donarium Regum.

phi, qui tunc Ægypti præfec
erat, eidem inter alia munera S
cten offerrent, inquiens: *Sum*
de optimis terræ frugibus in vasis
stris, & deferte viro munera, m
cum Resinæ, & Mellis, & Stora
& Stactes, & Terebinthi, Amyg
larũ. Sic Magi Iesu Christo rec
nato Aurum, Thus, & Myrrh
muneris loco ex alienis oris
vectam dono sacrarunt, de q
bus quidem magis (qui apud P
sas erant philosophi ac facerd
tes, aut reges extabant, aut in
ges eligebantur) ita scribit C.
vencus l. 1. de Hist. Evangel.

Tres Magi Myrrham Iesu Christo Domino detulere.

Gens est ulterior surgenti conse
soli
Astrorum sollers, ortusq; obitu
notare:
Huius primores nomen tenuêre M
gorum.

H

Hinc lecti proceres Solymas per longa viarum
Deveniunt, regemq́ adeunt, orantqué doceri,
Quæ regio imperio puerum Iudæa teneret,
Progenitum, sese stellæ fulgentis ab ortu
Admonitos, venisse viam, quò supplice dextra
Exortum terris venerabile numen adorent.

Et paulò post.

Et postquam puerum vidêre sub ubere matris,
Deiecti prono texerunt corpore terram,
Submissiq́ simul mox mystica munera promunt.
Aurum, Thus, Myrrham, Regiq́, Deoq́, Hominiq́.

Per tria enim ista munerũ genera, ut D. Fulgentius in Serm. de Epipha-

phania ait, in uno eodemq; Christo & Divina majestas, & Regia potestas, & Humana mortalitas intimatur; Thus enim ad sacrificium, Aurum pertinet ad tributum, Myrrha ad sepulturam. Unde Jo. Adelphus.

Tres Reges quærunt Dominum, tria dona tulerunt:
Caspar fert Myrrham, Thus Melchior, Balthasar Aurum.
Aurum dat Regem, verum dant Thura Prophetam:
Myrrha sepulturam signat pœnamq; futuram.

Myrrhæ cadaveribus cōdiendis idoneæ.

Myrrha enim omnibus modis ad cadaverum condituram requirebatur, qua mediante hæc ipsa à putredine & corruptione vindicarentur, cujus usum in sepulturis creberrimum fuisse innuit Martialis.

Dum

um levis arsurâ struitur Libitina papyro,
Dum myrrham & Casiam flebilis uxor emit.

Et alibi:

Vnguenta & Casias, & olentem funera Myrrham:

si cuncta ferè funera Myrrhæ orē præ se ferre, aut ipsammet yrrham funera olere diceret, iam prisci his adhibebant, ne l defunctis ulterior interitus accederet, posteaquam eam in vivis nium retardare didicissent: etnim vel fuco solo ex Myrrha arato adhuc hodie fæminæ, ut perpetuò erugatæ persistant, efficiunt, ac juventutem etiam iam nunc senescentes mentiuntur.

Sed ut illuc, unde digressi sumus, redeamus, inter pretiosos thesauros suos Myrrham reges locasse colligitur ex sacris: ait enim

Myrrhæ inter thesauros Regum.

enim ſcriptura de tribus Magis, *& apertis theſauris ſuis obtulerunt ei Aurum, Thus, & Myrrham.* Unde Prudentius.

Hic pretioſa Magi ſub virginis ubere Christo
Dona ferunt puero Myrrhaq́ & Thuris, & Auri.
Miratur genitrix tot caſti ventris honores,
Seq́ Deum genuiſſe hominem regemq́ ſupremum.

Ex hoc Regũ donario ac munere Majorũ pro ſenibus Medicinã propagandæ vitæ dicatam Marſilius Ficinus lib. 2. cap. 19. de ſtudioſorum ſanitate tuenda fluxiſſe arbitratur, cujus perelegantem locum totum huc inſerere libuit. Verba eius ſunt: *Magi ſtellarum obſervatores, ad Chriſtum vitæ ducem ſtella duce venerunt, pretioſum vitæ theſaurum offerentes, Aurum, Thus,*

Thus, & Myrrham, tria dona pro tribus Planetaris dominis stellarum Domino dedicantes. Aurum quidem pro temperamento Iovis, maximè omnium temperatum. Thus autē pro Sole præcipuè Phœbeo calore simul odoreq; flagrans. Myrrham deniq; firmantem corpus aut confirmantem pro Saturno omnium firmißimo Planetarum. Huc igitur omnes ad sapientes magos venite senes, munera vobis quoque vitam productura ferentes, quibus autorem vitæ quondam venerati traduntur. Venite senes, inquam, senectutem graviter tolerātes. Venite & vos præterea quoscunque senectutis propemodum adventantis formido sollicitat. Accipite, precor, alacres vitalia dona. Sumite uncias quidem Thuris duas, una verò Myrrhæ, Auri rursum in folia ducti dimidiam drachmæ partē, contundite, tria simul, conflate, confundite in pilulas, aureo quodam mero: Magorum medicina

idq;

Medicina magica pro sensibus.

idq; tunc opportune conficite, quando Diana propitio Phœbi vel Iovis gaudet aspectu. Sumite posthac thesauri tanti auroræ qualibet portiunculam, ac exiguo perfundite meri potu, nisi forsan incaluerit æstas; tunc enim aquam rosaceam bibere præstat. Si quis autem inter vos calorem quovis tempore magis metuat, is Myrobalanum, Chebulum, aut Emblicam æqualem ad Thuris Myrrhæq; & Auri simul pondus adijciat. Hoc humorem proculdubio naturalem à putrefactione tuebitur. Hoc humoris resolutionem longiùs propulsabit. Hoc tres in vobis spiritus, naturalem, vitalem, animalem fovebit, confirmabit, corroborabit. Hoc rursum vegetabit sensum, acuet ingenium, memoriam conservabit.

Neque verò sanis solùm corporibus hac ratione cõservandis, sed

& mortuorum cadaveribus
diendis,& à putredine vindi-
dis(ut ſupra monuimus)adhi
m eſſe Myrrhā conſtat,quan-
oſephus ab Arimathia ad cō-
dum corpus Domini tulit *A-
& Myrrhæ libras quaſi centum*,
nim, ſcripturâ teſte, *mos erat*
is ſepelire, ut ſi vivi homines
ac aura diſceſſiſſent,cadavera
em incorrupta in longam di-
m ſeriem ac temporum quan-
n æviternitatem ſervarentur.
dimus hîc Auguſtæ in officina
rmaceutica eximij viri domi-
Iſraëlis Telotti Pharmacopæi
mīam, ſeu cadaver penè inte-
am, Cairo ad nos allatum, cu-
oſſa adeò erāt [illegible]ntegra, & al-
,imò candidiſſima, ut ne cariē
lam vel minimam teredinem
nſerint, quod præ cæteris Myr-
æ adſcribimus, quæ partes po-

tissimùm solidas (ut infrà dicetur) conservat ac tuetur. Sed & pannus, quo cadaver hoc involutum erat, (fuit enim cadaveri sæpius circumductus) nullatenus computruerat, sed substantia cadaveris ac quondam carnis, quæ vi cōdituræ in mumiam transijt, firmitèr adhærens integer spectabatur, cùm tamen credibile imò probabile ferè sit, ante sesquimillia annorum cadaver hoc humatum fuisse, nam post vastatam Hierosolymam disiectis Judæis vix quemquam eo more conditum ac sepulchro mandatum fuisse nemo facilè crediderit.

Itaque & tres Magi (quorum paulò ante me[illegible]nimus) Myrrhā secum inter oblationes ac munera sua tulêre, eamque Iesu Christo, vt homini pro salute nostra mortem oppetituro sacrarunt, ac

G

ſi eius ſepultura Myrrham quandoque eſſet deſiderata, cùm eidem Aurum ut Regi, Thura verò ejus divinitati obtuliſſent. Hinc Sedulius Presbyter, lib. 2. Carm.

Aurea naſcenti tulêrunt munera Reges:
Thura dedêre Deo, Myrrham tribuêre ſepulchro.

Myrrha autem (prout ex citao Dioſcorid. loco pateſcit) ut oorata ſit neceſſe eſt, quam amao quoq; ſapore præditã eſſe conenit; his enim notis ab ea quæ audẽ paſſa eſt, dignoſcitur. Une odorẽ eius ſcriptura pluribus locis commendat, ut in lib. Saient. *Quaſi Myrrha electa dedi ſuatatem odoris*, & de ſponſa in Cancis Cant. legitur. *Quæ eſt iſta, quæ ſcendit per deſertum ſicut virgula fuex aromatibus Myrrhæ & Thuris, univerſi pulveris pigmentarij,*

Pulveres Pigmentarij.

Pigmentarios autem pulveres & unguēta ad corporis decorem & compturam, ac delicias ex aromatibus componi solita fuisse liquet ex Salomonis Cant. *Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum Nardo, Nardus & Crocus, Fistula & Cinamomum cum universis lignis Libani, Myrrha & Aloë cum omnibus primis unguentis.* Quin & in Psalmis odor Myrrhæ commendari videtur his verbis: *Myrrha & gutta, & Cassia à vestimentis tuis.* Et in Cant. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter ubera mea commorabitur.* Et iterum: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Hæc enim semper inter aromata numerabatur, cui sacræ Literæ testimonium perhibent. 5. Cant. *Messui myrrham meam cum aromatibus.* Introducit Salomon ani-

animam ad Sapientiæ amplexum hujus suavitate odoris pellectam Proverb. 7. *Intexui funibus lectulum meum, stratui tapetibus pictis ex Aegypto, aspersi cubile meum Myrrha & Aloe, & Cinamomo.* Atque hæc de Myrrhæ odore ex Sacris.

Fragrantiam Myrrhæ Poëtæ quoque agnoverunt, quando eam ab unguentarijs in luxum traductam carpunt, juxta illud Horatij Carm. lib. 1. Ode 38.

Persicos odi puer apparatus.
--- & Assyriam redolentia pectora Myrrham.

Et Martial. 2. Epigr. 10. invehitur in Posthumum, quod Myrrham oleret, ac compturæ corporis nimium studium impenderet, inquiens:

Esse quid hoc dicam, quo olent tua basia Myrrham,
Quodq́ tibi est nunquam non alienus odor.

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper.
Posthume non benè olet, qui benè semper olet.

Myrrha amara ut sit oportet.

Amaritudo præterea Myrrhæ, ejus bonitatem prodit, quò enim hæc amarior, eô syncerior, purior ac magis legitima haberi debet, videturq; Myrrha aliquibus nomen ab Hebræo vocabulo MOR sumpsisse, nam MAR amaritudinē significat. Unde inter afflictiones innocenti Servatori nostro IESV Christo illatas, Myrrham filio Dei potui latam esse recēset Marc⁹ cap. 15. amaritudinis quippe causa vino mixtam: *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum*, quod quidem vinum adeò amarum fuisse, ut felle mixtum reputaretur, Matthæus indicat cap. 27. inquiens:

ens: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Hæc itaque ex sacris depromere libuit, ut Myrrhæ cōditiones rectiùs intelligerentur, de qua Ethnici, præsertim verò Poëtæ varia fabulosè senserunt & tradiderunt. Finxerunt enim Myrrham Cinyræ Cypriorum regis & Cenchreidis filiam, quam ob id Columella Cinyreiam virginem appellavit hoc versu:

Et lachrymas imitata tuas Cinyreia virgo.

Hanc ob incestum cum parente commissum scribunt non vitę solùm tædio aut fastidio lucis, sed & mortis metu compulsam, postquam in Sabæam profugerat, deos exorasse, ut ex hoc orbe si non penitùs sublata foret, tamen eatenùs inter mortales versari posset, ne agnosceretur, aut cæte- Fabula de myrrha.

ris ob patratū facinus patefieret, atque ne vel in posterū superstites vivos, vel fato functā mortuos offenderet; cujus precibus cùm Dij annuēdum decrevissent, eam in Myrrham arborem transformasse. Quam historiam Ovid. 10. Metamorph. sic describit.

Locus Ovidij de Myrrha.

Vota suos habuêre Deos, nam crura loquentis
Terra supervenit: ruptosq́ obliqua per ungues.
Porrigitur radix, longi firmamina trunci
Ossaq́ robur agunt, mediaq́ manente medulla
Sanguis it in succos, in magnos brachia ramos,
In parvos digiti durantur, cortice pellis.

Et paulò post:

Quæ quamquam amisit veteres cum corpore sensus,
Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ.

Est

Est honor & lachrymis, stillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet nulloque tacebitur ævo.

Præcipuam laudẽ meretur Myrrha Troglodytica, mordacem gustui erosionem præstans, eaq; fragilis, lævis, undiq; concolor, minutis glebis, amara, & (ut supra monuimus) odorata, quæ cõfracta ungues exhibeat. Est autem Troglodytica regio in Æthiopia sub Ægypto sita, & in mare rubrũ & Arabicum sinum protensa, in qua Plinius septentriones cõspici non posse arbitratur, adeò calẽs ac fervida, ut eius incolę in antris ac specubus habitare cogantur, unde ἀπὸ τῶν τρώγλων, seu à specubus nomen sortiti sunt, de quibus Plin. lib. 5. cap. 8. ait: *Troglodytæ specus excavant, hæ illis domus, victus serpentium carnes,*

Myrrha Troglodytica optima.

stridorq; non vox, adeò sermonis commercio carent. De Myrrha sic idem Plinius lib. 12. cap. 15. *Myrrham in iisdem sylvis, ubi & thus, permistam arborem nasci tradidère aliqui, plures separatim, quippe multis in locis Arabiæ gignitur. Convehitur & ex sylvis laudata, petuntq; eam etiam à Troglodytis Sabæi transitu maris. Sativa quoque provenit multum sylvestri prælata, gaudet rastis & ablaqueationibus melior radice refrigerata.* Hæc Plinius. Alij quoque eam ventis violenter spirantibus ac turbinibus recreari tradunt, unde carmen:

Maior in adversis virentis gloria vera est,
Vberior ventis Myrrha agitata fluit.

De eadẽ Theophr. li. 9. hist. Plant. cap. 4. *Gignitur Thus & Myrrha regione Arabum mediâ circa Saba &*

& Adrymytta & Citibana, & Manali: & exeunt Thuris Myrrhaq; arbores aliæ super montem, aliæ in pede montis culturis propriis, quamobrem aliæ coluntur, aliæ vitam agunt incultæ. Montem istum præaltum affirmant & ningi solitum, amnes quoq; de eo in plana fluere. Utut sit, est Myrrha præclaris ac penè infinitis dotibus insignis, tergit enim sine exasperatione, siccat sine adstrictione, coquit pravos succos sine adustione. Myrrham Dioscorid. lib. 1. cap. 77. Fabæ magnitudine cõtra diutinam tussim, contraq; lateris ac pectoris dolores deglutiri scripsit, ut quæ recta cervice spirantes adjuvet, asperæ arteriæ scabritiem poliat, ac densam expediat vocem: quam etiam ventris tineas & lumbricos necare, intestinorum tormina sedare, dysenteriam compescere, ac Myrrhæ vires.

oris &animæ fætorem sæpius cō-
manducatam tollere docuit, rigores eam febrium duabus ante accessionem horis cum pipere & aqua sumptam solvere ac discutere asserens. Communis porrò Medicorum schola calefaciendi, astringendi, glutinandi, siccandi, putredinesq; arcendi vires eidem adscripsit, cui anodynum quidpiam ac soporiferum nonnihil inesse notavit. Firmat ea ut plurimum partes solidas (ut supra monuimus) & quod Aloë in humoribus à putredine vindicandis potest, id Myrrha in partibus solidis à corruptione tutandis præstat, habetque se erga eas analogâ quadam ratione haud aliter quàm Aloë ad succos.

Myrrha cur Aloedariohuic indita.

Hanc igitur meritò Pilulis his nostris indidimus, ut, cū tria sint, quæ

quæ corpus humanum secundũ sapientissimi Hippocratis sententiam constituunt, continentia nimirum; contenta, & impetum facientia: Continentia quidem, ut partes solidæ, vasa ac venæ: Contenta, ut humores: Impetum facientia ac hinc inde meantia, ut spiritus; singulis his singulo medicamine prospiceretur. Tuebitur igitur Myrrha partes solidas, rectificabit conservabitque Aloë humores, redintegrabit restaurabitque Crocus spiritus, ut sic tota corporis nostri structura fulciatur, cujus firmitudini Myrrha plurimum confert, ut quæ præclaris dotibus insignis compositionem harum Pilularum subintravit, magnam ijs efficaciam allatura.

❧†❧

Caput Septimum.

DE AMMONIACO.

Ammoniacum ferulaceæ arboris in Aphrica ad Cyrenem juxta Jovis Hammonij templum, à quo nomẽ mutuasse videtur, nascentis succus est, cujus fruticem cum radice Agasyllim vocant, optimum autem succi Thrausam seu friaturam nominant, cum reliquum succi, quod terram, arenas aut calculos collegit, Phryama appellent, (qua de re Plin. l. 12. c. 23.) calefaciendi, molliendi, extrahendi, duritiesque & panos discutiendi vires Dioscoridis testimonio obtinens, quem is ipse ad deijciendam alvum bibi scripsit lib. 3. cap. 82.

Thrausa electissima Ammoniaci portio.

Pro-

Probatur Ammoniacum quod Ungues habet, & bonitate coloris nitet, nec lignosum est aut calculosum, sed purum ac densum sine sordibus, quodq; thuris modo in grumos concrevit, odore Castorei, & amaro gustu praeditum; quodque manu tractatum cum lentore mollescit, & accensũ in plures splẽdidas micas dissilit. Dicitur id Thymiama, eò quod veteres (ut ex Ægineta colligitur) forsitan id ad eblandiendũ deorum (praecipuè verò Jovis Hammonij qui inter Lybiae arenas colebatur) favorẽ, cum rebus sacris operam praestarent, focis adolevisse sint soliti; talia enim gũmata & resinę februationibus, deorum placationibus propensionibusq; impetrandis, imò & magicis sacris amatorijsq; carminibus mentem flectentibus olim impende- Ammoniaci delectus.

ban-

bantur adhibebanturque. Sumebant lectissimum Ammoniacū Thuri simillimum, unde & Thymiama seu suffimentum cognominatum fuit. Alioquin verò Thymiama compositio quædam erat ac pastura, quam dijs dicatam sacerdotes vestri quotidiè cremabant, dicebaturque id thymiama vocabulo ab Ægyptijs mutuato κῦφι ἱερατικὸν seu sacerdotale. Miscella ea (ut Plutarchus in Commentar. de Iside & Osiride scribit) propter quadratum numerum, sedecim litteris sacris cōtinebatur, ex melle, vino, uva, passi, Cypero, Resina, Seseli, Aspalatho, Myrrha, Junco, Bryo seu Mscho, Calamo, utraque Junipero, Lacaphtho, Cardamomo, & Bitumine parari solita, cujus generis plures alias confici consuevisse Dioscorides tradit; non enim religioni ac pie-

Thymiama.

tati

pietati solùm serviebant, sed etiã sanitati præstandæ accommodabantur. Etenim ad gratum odorem conciliandum, ad catarrhos concoquẽdos, obstructiones cerebri reserandas, caput à muco repurgandum, & contra infecti aëris injurias naribus admovebantur, imo etiam intra corpus sumebantur, ut pectus ab inhærẽtibus succis gravitatẽ anhelitus inducentibus liberarent, cruda concoquerent, ac jecoris frigiditatem emendarent. Licèt autem multæ fuerint ejusmodi compositiones priscis medicis usu cõsuetæ, quas pro superstitione, ac si à dijs aut sacrificij medicamenti hoc genus petiverint, aut ex sacris in hominum usus transtulerint, κυφοειδῆ nominarunt, duæ tamen inter illas insigniorem cognomento famam meruerunt à Paulo & Aëtio. Cyphoides.

tio descriptæ, quarum una Solaris ex triginta sex rebus, altera Lunaris ex viginti & octo rebus constans inscribebatur; vel quod illa Soli, hæc verò Lunæ privatim incenderetur: vel quod alterum magma ad Solis, alterum verò ad Lunæ figuram effigiatum esset.

Cypriæ aves.

Hodie Cyphoidæa medicamenta avicularum ferè speciem exprimunt, unde & Cypriæ aviculæ dicuntur, corrupto forsan nomine, cùm Cypheæ aviculę appellari debuissent, relucente tamẽ adhuc veteris nominis aliquo vestigio. Atq; hæc obitèr de Thymiamate. Nostrum porrò thymiama, quod ad confectionem harũ Pilularũ requirimus, est Ammoniacum gummi unguinosum, quod unguis odoratus quibusdam esse putatur, aut saltem in cõpositionibus pro ungue odorato substitui-

tuitur. Sic in Trochiscorum Cyphi Damocratis compositione pro ungue odorato Romanos Bdelliũ unguinosum ab Ammoniaco non longè viribus ac facultate distans, Bergomantes verò Ammoniacum thymiama subrogare scripsimus, in Annotat. seu scholijs ad D. spensat. Augustan. fol. 158. Vide quantum Ios. Quercetanus in Pharmacop. restitut. suis Pilulis ex Ammoniaco confectis tribuat, sic enim de ijs scribit: *Excellentes harum Pilularũ vires atq; virtutes pro merito satis prædicari nequeunt: adeò copiosè & utiliter purgant tartarum, omnemq; fæculentam corporis materiam, idq; citra ullum dolorem, molestiam & perturbationem: magnopere etiam conferunt adversus omnes defluxiones & dolores ventriculi, adversus cachexias, oppilationes lienis, eiusdemq; duritiem & scir-*

Trochisci Cyphi Damocratis.

Pil. ex Ammoniaco Quercetani.

scirrhum: febres quartanas tollunt & quotidianas inveteratas: præstantissimæ præterea sunt ad homines corpulentos & plethoricos evacuandos: & sufficiet exhibere unicam aut alteram saltem pilulam ijs, qui difficulter vel bolos, vel potiones, vel huius generis alia medicamenta, ob ingratum saporem & nimiam quantitatem nauseabunda, sumere possunt. Poterunt quoq; eadem sine extracto Scammonij & trochiscis Alhandal præparari. Sufficienter enim per se purgant, ac ita ijs præparatis quilibet citra incommodum aut molestiam ullam fæliciter uti poterit. Hoc utique unum erat ex numero præcipuorum purgantium D. Rivierij, non ita pridem Regis nostri invictißimi primarij Medici.

Utebatur hoc remedij genere plurimùm antiquitas cõtra duries, furunculos, & inguinum tumores,

mores, prout Aëtius lib. 1. Tetrabibl. ait: *Ammoniacum mollientis intense facultatis est, ut etiam articulorum callosas durities dissolvat, lienes induratos sanet, & strumas discutiat: etenim id iecoris & splenis scirrhos remollire ac manifesto auxilij apparatu finire compertum est.* Educit quoque Ammoniacum eodem Aëtio reste 4. Tetrab. Serm. 2. c. 24. putredinem, unde id Ruffus Ephesius in medicamen suum contra pestem tantoperè pluribus jam seculis celebratum non immeritò assumpsit. Hujus meminit Ægineta lib. 2. cap. 36. quod componebatur ex Aloës & Ammoniaci singulorũ partibus duabus, & Myrrhæ parte una, omnibus in sufficienti quantitate vini albi odoriferi dissolutis. De Ammoniaco Dioscorid. loco citato hæc refert: *Minuit lienem drachma* Ammoniaci vires in genere.

mæ pondere cum aceto potum. Articulorum, coxendicisq́ dolores lenit. Subvenit præterea suspiriosis, in eadem spiritus difficultate non nisi recta cervice spirantibus, Comitialibus, & quibus in pectore humores hæserunt: in quem usum in eclegmate cum melle datur, aut cum ptisana cremore sorbetur. Galen. l. 5. de Simpl. Med. facult. cap. 8. ait: *Quamvis innumera sint calefacientia simul atq́ exsiccantia medicamenta, sola tamen ea quæ convenientem ac symmetrum calorem possident mollire, quæ scirrhi instar indurata sunt, possunt, quale est Bdellium, Styrax, Galbanum, Thymiama Ammoniacum.* Qua quidem Galeni auctoritate eliditur scrupulus quorundam, Ammoniacum adeò vehementi calore præditum esse opinantium, ut haud securam eius assumptionẽ præsertim in temperaturis paulò ca-

calidioribus esse arbitrentur; etenim Ammoniacum aliàs neutiquam molliret, sed potiùs inspissaret, ac ea quę mollificanda sunt, induraret. Vide Quercet. loco suprà citato.

Nemo igitur miretur nos Ammoniacū ad confectionem hujus medicāinis adduxisse, imò sūmoperè expetivisse, cùm id impactos jecori, lieni ac mesenterio hūores penè gypseos attenuet ac dissolvat & aquas in abdomine contētas exhauriat: Solvit id prætereà inveteratas & contumacissimas obstructiones, quarum occasione viscera vel pereūt, vel in scirrhos durantur, à qua labe Cachexia seu malus corporis habitus, Icterus, Arquatus, ventriculi inflatio, diaphragmatis cōpressio, ac inde emergens strangulatio, hydrops & similia mala extremè nocitura pul-

Ammoniaci vires peculiares.

pullulaſcunt. Quin etiam Ammoniacum pituitam nervis & articulis illiſam in iiſque tenaciùs hærentem ſolvit & avellit, imò & ipſum cerebrum ab eiuſmodi recrementis abſolvit ac repurgat, unde Comitialibus ac Epilepticis (quod Dioſcor. loco citato notavit) eius uſus perquàm utilis exiſtit. Galenus in lib. de Medic. expertis refert multa experimenta, quæ accepit ab advena quodam Ægyptiaco edocto ab uno Medicorum altarium, de quo inter cætera hæc ſcribit: *Et dabat Ammoniacum cōtra dolorem iuncturarum ex humore craſſo, & ſæpè curabat aliter.* Erant autem Medici altarium (prout Galen. ibidem innuit) qui curabant per cibos ſacrificiorum, ut nobiliores probarentur alijs.

Medici altarium.

Egregias igitur vires ſuas in Pilulis

lulis his Ammoniacũ exercet, ac cęterorum medicamentorũ paulò minùs validorũ existẽtium vires nonnihil intendere observabitur; cui hoc modo præparato ac usurpato, nulla unquam suspicio vel minimæ commotionis aut alterationis, quæ corpori aut valetudini adversetur, aut bellum ferat, imputanda, sed magna pars juvaminis & sanitatis adscribẽda. Neque verò (ut paulò ante monuimus) calorifica eius vis ullo modo formidanda, cùm tertium calefaciendi gradum (quem aromata quęlibet ferè attingunt, quibus ipsi liberaliter utimur, ac copiosè vescimur) non excedat, accedente potissimùm nunc parandi ratione, ubi acetum, succus Citri & Limonum, atq; alia nõnulla refrigerãtia eius calorem temperant, & ad moderationem justam

nullatenus offensuram reducunt.



Caput Octavum.

DE RHABARBARO.

Rhabarbari & Rhapontici descriptio.

CONFVSA olim erat Rhabarbari & Rhapontici cognitio, quam sub eadem doctrina Serapio & Avicenna tradidisse visi sunt, usq; ad Græcorum tempora, ubi post & inter cęteros Paulus Ægineta, Nicolaus Mirepsicus & Actuarius, quos Gabriel Fallopius in Tractat. de med. simpl. purgant. cap. 34. potiùs Græcos Arabisantes, quàm Arabes Græcisantes vocat, primi Rhabarbarum verum agnoverunt; etenim Ægineta lib. 7. cap. 11. eius in quibusdam

dam medicamentis adversus podagras facientibus mētionem facit, ut in compositione Atactos, itemq; in compositione Agapeti, & in Diacorallio Mesue tres Rhabarbari differentias facit, Turcicum nimirum, vel quod è Ponto ad Turcas deferri consueverit, vel quod in convallibus ultrà Tanain fluvium sitis (ubi quondam Turcæ, Plinij & Pomponij Melæ testimonio, venationibus dediti habitabant) nascatur, quibus saltibus propinquus Rha fluvius esse perhibetur. Secundum Barbarum, quod à Barbaria Aphricæ regione, ubi quondam Carthago celebris exstiterat, ac nō longè à Tuneto, quod Carolus Quintus Imperator expugnavit, nasci solet, denominatum arbitrantur. Tertium Indicum seu Sceniticū, quod à Sinis Indiæ populis

Rhabarbari differentia.

 pulis

pulis exportetur, sic dictum, licet rectiùs Sinicum quàm Sceniticum, aut Scenicum dicatur; nunc è Troglodytica Æthiopiæ regione, itemque ex ditionibus magno Regi Cham subditis, ac ex fælici Arabia convehitur. Ut ut sit, Rhabarbarũ medicamentis ad sanitatis tutelam facientibus utilissimum esse & appositissimum omnis hucusq; ætas experimẽto edocta agnovit, unde nõ immeritò Mesue sic in eius laudes prorumpit inquiens: *Rhabarbarũ est ex medicinis benedictis & solẽnibus, in quo aggregantur multæ ex intentionibus, quæ quæruntur in re faciente mundificationem.* Opitulatur id ruptis, convulsis, singultientibus, cæliacis, lienosis, hepaticis ac Ictericis, nam & Dysentericos juvat, si costum cum vino adstringente, aut succo Polygoni vel Plantaginis

Rhabarbari à Mesue descriptio collaudata.

nis bibatur: inflationes stomachi, ejusq; laxitatem imbecillitatemq; corrigit, & ad quosvis ferè dolores prestat. Unde Mesue in laudibus eius enumerandis sic pergit, mox subjungens: *Solutione educit choleram & phlegma, & maior eius proprietas est mundificare & confortare hepar & stomachum, & conferre doloribus pungitivis eorum, & clarificare sanguinem, & auferre oppilationes & morbos quorum mater est oppilatio, sicut hydropisin & Ictéritiam & grossitiem splenis, & febres oppilationum, & similia. Ex parte substantiæ suæ proprietas est ei conferre sputo sanguinis & manationi eius undecunque sit, & conferre casui & percussioni, & sanare rupturas intrinsecas & extrinsecas, & propriè eius drachma una, & Mumiæ grana duo, & Rubiæ tinctorum granum unum & medium cum vino* Rhabarbari dotes insignes.

stiptico, & est dosis una. Et confert inunctio olei eius concussionibus & cōtractionibus lacertorum & doloribus eorum; & ipsum quidem est medicina singulis, & est medicina bona dysenteriæ, & propriè quod ex eo est assum & bibitum cum succo Plantaginis & pauco vino stiptico, & confert febribus periodicis, & febribus oppilationis & febribus antiquis. Et in eodem loco ait: *Non est in eo nocumentum apparens, & datur in omni tempore, & in omni ætate, ita quod etiam pueris & prægnantibus.* Hujus vires sic breviter Poëta complexus est.

Est Rheubarbaricum radix pretiosior auro.
Quæ purgat choleram, phlegmata crassa quoq;
Hanc hepatis vitam rerum dixere periti.

Quod

Quod Iuvet Ictericos, quod iuvet Hydropicos.

Adde huic & hoc quoque.

------ radix, qua vulnera sanat.
Naris compescit rheumata sanguinea,
Atque hæmoptoicis qua confert asthmata curans,
Et splenem tumidum, mollit & ipsa iecur.

Ergò tam præclaram radicem meritò ex vegetabiliũ censu præ cæteris in Aloëdarij hujus compositionem dilectam & delectam assumpsimus, cùm enim jam dictum Aloëdarium non solùm mundificandi, sed etiam roborandi causa sit institutum, fieri non potuit, ut Rhabarbarum hoc loco prætermitteremus, cùm non modò securissimum, verùm


Cur Rhabarbatum in medicamenti huj' structuram assumptum.

etiam efficacissimum, & corpori humano saluberrimum medicamen existat, Regi simul ac rustico, seni pariter ac puero, viro æquè ac fæminæ familiare. Diureticum id quoq; est renum rumores abstergens, & arenulas eorundem deturbans; quodq; excellentiam eius auget, hoc peculiare est, quod utramque viam, alvum nimirũ & urinarios meatus expurget: advertendũ; tamen, quod si id infusum, aut in tenuem pulueтem redactum fuerit, gibbam protinùs jecoris partem petens, venosum genus quantocius permeare, minus autem ventrem movere, undè si alvus ducenda magis & cava hepatis pars expurganda potiùs fuerit, fælicius crassiusculè incisum ex jure vel vino hauriri.

Huic ad operationis accelerationem, & ad parandum faciliorem

rem

rem medicamini transitum, omnes hucusque Medici Spicam aut Cinamomũ jungendum esse censuerunt, verùm cum Spica hoc loco desit, neminem hîc scrupulus lædat vel offendat, id enim quod Spica perficit, Marum potest; imò & Costus Cinamomo longè validiùs eas intentiones suppleat: sed & ipsum Rhabarbarum aquâ Cinamomi, antequã ad confectionem hujus medicamenti admittatur, prius aspergitur & irroratur, ut proindè nulla planè sit difficultas, quare, quomodo, & qualiter Rhabarbarum in scenam nostri Aloëdarij sit introductum, &c.



Caput Nonum.

DE AGALLOCHO.

Agallochi seu Xyloaloes descriptio.

AGallochum, quod vulgus lignũ paradysi nominare consuevit, eò quod id ex paradysi vicinia non nisi summo vitæ periculo peti ac obtineri posse crediderit, lignum est nodosum ac primo intuitu contemptibile, quod dolabrum ob tortuosas ambages ad cælandas ex eo figuras aut imagines tanquam iners respuat, in Indiæ promontorijs nascitur, ubi Tigrides, Leopardi, ac aliæ pleræque ferocissimę belluæ victitant, unde rariùs quondam apportabatur, priusquam loca ea magis habitata colebantur, quæ bestijs iam ali-

æqualiter pulsis, securiùs adeuntur, unde ex Calecuth; insula Taprobana, & Alexandria Ægypti nūc copiosiùs devehitur. Id per odorum esse decet, crassum, ponderosum ac nigricans, quod accensum vix unquam flagret, sed oleagineum liquorem quendam suavis fragrantiæ exsudet. Sit hoc idem maculis quibusdā versicoloribus distinctū, ac cinereis notis variegatū, solidum, compactū ac succulentū, improbatur enim id quod fractum pulverem edit.

Lignum hoc, primus inter Græcos Aëtius, ac post eum Simeon Sethi & Actuarius ob coloris forsan, quem cum Aloe habet, similitudinem, Xyloaloë nominavêre; & sanè non levis est opinio eorū, qui diapasma illud seu odoramenti genus (quo sponsa apud Salomonem lectulum suum con-

spersisse, ac odorū reddidisse legitur, quod ex Myrrha, Aloë & Cinamomo confectum esse perhibetur Proverb. 7. ubi sic littera habet; *Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus ex Aegypto: aspersi cubile meum Myrrhâ & Aloë & Cinamomo.* non ex succo Aloës purgantis officinarum, sed ex perquàm odoro hoc ligno paratum fuisse arbitrantur, id enim (ut Dioscorides cap. 21. lib. 1. testatur) prisci ad arcendos sudores corpori inspergere sunt soliti. Hujus plura genera ponit Serapio, Sethi decem distincta talia ligna esse dicit, Ruellius quatuor, & Ludovicus Romanus tres hujus arboris differentias esse arbitratur. Fuerunt qui Gangem adminiculo aliorum fluminum sese in eum fundentium per inundationes Xyloaloën deportare dictitarint,

Differentia inter succū Aloës purgantem, & Lignū Aloës seu Lignum paradysi.

rint, quādo Agallochi truncos ac fragmenta alluvione violentâ secū rapta devexêre, quæ littoribus hærentia exindè reportari sint solita. Cùm autem Ganges paradysum proluere dicatur, lignū hoc paradysi, ab aliquibus verò lignum S. Crucis, & lignum Aquilæ dictum quibusdam fuit, id autem recēs integro anno in terram defódiunt, quo odoris gratiam acquirat, ut ex auctoritate Chealfetebeni colligitur. Ganges.

Lignum hoc cute potiùs quàm cortice vestitū, ad oris collutiones commendandi odoris gratiâ adhibetur, ac pro thure suffimentis præstatur: humida item stomachi vitia & imbecillitates corrigit, fervoremq; temperat, jecinorosis, torminosis, ac Dysentericis utile remedium. Præcipua ejus vis in cordis cerebri viribus

roborandis, quas partes ſpiritû perquàm odoro, nec tamen gravi aut opplente reficit. Extractum ejus in morſellos aut rotulas conformatum vertiginoſos & Apoplexiæ metu perculſos juvat; quin & cordis ſyncopas tollit, aut antevertit, aliqualem præ ſe ferens amaritudinem, cujus præſentia præclariſſima veterum ac neotericorum medicamenta hoc ligno carere noluerunt. Undè & meritò nobis id commodè huc acceſſit, ſuas opiferas vires pro corporis integritate ac vitæ incolumitate præſtanda protinùs exerturum.

Extractū ligni Aloes.

Cap.

Caput Decimum.

DE ALOE.

CRescit herba Aloës folio Scillæ similitudinē habente, eo verò pingui ac crasso, striato & in spinulas retusas desinente, quam aliqui semper vivum, Indicum, ac sedum amarū dixêre, qua de re vide doctissimi Viri D. D. Bauhini in Matthiolū supra Dioscoridem Annotationes lib. Cōment. 3. c. 22. Flos ei albus, ac fructus hastulæ regiæ cognat⁹, radice unâ ceu palo in terrā depactâ. Natale ei solum est India, ubi plurima præpinguisque provenit, ex quo coactus succus deferri ac in- *Aloes plantæ descriptio.* *Aloes natales.*

or-

orbem exportari consuevit. Habet & Asia & Arabia, ac Syria & Cœlosyria ejus proventum, veruntamen ignobilior est ea Aloë, quę in locis minùs fervidis gignitur. Unde quæ in insulis maritimis, ut in Andro provenit, infirma est, & vix glutinandis vulneribus, si detrita illinatur, idonea. Est autem duplex Andros, quarũ altera una ex Cycladibus Eubeæ insulæ, vulgo Nigro ponte dictæ, ac in Archipelago sitæ adjacẽs, præstantiorem Aloën profert; Altera Oceani septentrionalis ambitu confusa, Hyberniam ac Britanniam interjacens, attamen ob loci frigidam constitutionem Aloën quidem, sed ijs dotibus, quæ à verâ Aloë postulantur, & in legitima requiruntur, carentem gignit, quæ loca fraudem potiùs ex Acaciæ succo, Croci ac Gummatis Arabici

Andros duplex.

rabiei portione aliqua cum amaro quidem, ſed impotente huiuſmodi ſucco commixto mentiri perbellè poſſent, ac forſitan quoque ſolerent, ni fuçus odore & amaritudine promptiſſimè deprehenderetur.

Eligi debet ſplendens ac nitida, nihil doli perpeſſa; adulteratur enim admixto gummi, ſed ſapor fraudem detegit, amariſſimi enim ſaporis eam eſſe decet, ac ruffi coloris calculorum expertẽ, hyeme friabilem & jecoris modo denſatam ac coactam; æſtate ad digitorum attritum molliuſculã & lenteſcentem, nec non boni odoris aromaticam amaritudinem præ ſe ferentem. Optima nunc habetur Soccotrina, quæ ex Soccotora inſula aſportatur; minoris efficaciç eſt Hepatica, ſic dicta, quòd hepatis modo concreta ac den-

Electio Aloe.

Aloes Soccotrina ab insula Soccotora: ſic dicta.

densata cernatur: inutilis porrò ferè est & non nisi ad veterinarios usus accõmodata Caballina, quæ fæx quædam purioris Aloës esse videtur, utpote densa, nigra, ponderosa, terrâ, fæcibus & arenâ remixta, horribili gustu & odore virus imitante confusa. Harum trium Aloës specierum magnam nobis nunc India atq; Arabia per Syriam & Ægyptum, nec non sinus Mexicanus, & America, copiam suppeditant, licèt etiam in maritimis Hispaniæ & Apuliæ regionibus, sed faciendo succo indigna succrescat.

Parabant veteres ex Aloë plurima medicaméta emollientia & alvum subducentia, citraq; molestiam purgantia, Græcis ἐκκοπρωτικὰ dictà, vocabanturque ea priscis Aloedaria, inter quæ celebriora ferè erat Aloedarium ex Ro-

Aloedaria.

Rosaceo melle Philagrij, alterūq; Oribasij licet uterq; plures Aloedariorum compositiones usu cō-suetas habuerit, ut videre est apud Aëtium Tetrab. 1. Serm. 3. capite 101. usque ad cap. 108. ubi etiam propriorum Aloedariorum meminit, quorum diversas ibidem descriptiones exhibet.

Eximias eius vires cum tam apertè Mesue ille Medicorum Evangelista dictus describat, locum ipsius huc inserendum censuimus, qui sic habet. *Aloë est de melioribus & sublimioribus medicinis habens prærogativam supra alias medicinas. Quanquam enim intentio solutivi secundum plurimum sit debilitare virtutes, & membra quæ sunt mineræ virtutum, & afferre eis nocumentum propter illud quod diximus, cadit hæc intentio ab Aloë. Non solum enim* Locus Mesue de viribus Aloës.

non

non nocet, sed invenitur ad confortationem membrorum debilium addere, & ad redditionem eorum in proprias virtutes conferre, neque ad aliud nisi ad unum videtur nocivum, aperit enim orificia venarum apertione sanguinem manare faciente. Et ipse est aliarum medicinarum rectificator bonus, mixtus enim cum ipsis, & propriè cum eis, quæ solutionem faciunt dissolvendo medicinas ipsas rectificat & nocumenta earum removet & neq; expolianda sunt à permixtione eius cum ipsis, est enim regularis & rectificans eas, & illud ideò, quoniam ex parte substantiæ suæ opponitur subtilitati & acumini earum, ex parte sui effectus eas in solvendo iuvat: & ex parte proprietatis suæ, quod de ipsarum malitia est, in membra facilè imprimis removet, ipsum tamen in se est tardæ solutionis. De electione quæ optima

sit

ſit Aloë, jam diximus, ideò tranſiliendo aliquâ ad ulteriora auctoris prædicti effata transſeamus, ſcribit enim ulterius: *Eſt* Aloes qualitas. *autem complexionis calidæ in ſecundo gradu, ſiccæ in tertio, & eſt exiccativum ſine mordicatione, conſumptivum ſuperfluviativum, & præſervans à putrefactione, & cum hoc ſit ei proprium: aperit tamen orificia venarum, & dicunt quidam, quod lædit hepar aliquando ipſum, & videtur quod illud ſit propter apertionem quam efficit in venis. Verùm rectificatio acquirit ei, ut conferat hepati, & in Aloë quidem lota minoratur ſolutio, & additur ei ut ſit ſtomachi confortativum. In non lota verò eſt è contrario, & etiam mixtum cum melle eſt minoris ſolutionis, & minoris attractionis: & eſt maioris abſterſionis partium, per quas ille eſt tranſitus.* Veruntamen de modis ap-

apparitionis, lotionis & correctionis ejus mox infrà agetur, ubi modò prius Mesuei antiquissimi ac gravissimi viri censuram Aloës penitùs perpenderimus, non enim adhuc efficaciam eius prorsùs deprædicavit, sed jam modò laudes ejus ultimo capituli paragrapho fusiùs proponit, inquiens : *Solutione educit choleram & phlegma, & mundificat caput ab eis & stomachum, & confert iuvamentum magnum doloribus*
NB. *eorum. Et confert inflammationi stomachi & simili, & doloribus ex cholera factis. Et qui aßiduat acceptionem eius diebus continuis, non videt in corpore suo, neque in instrumentis sensuum suorum ægritudinem, quæ non sit habilis sanari, & præservat à putrefactione, ita quod etiam cadavera, & propriè mixtum cum myrrha: mixtum verò cum sanguine*

guine draconis & myrrhâ, sanat ulcetera mala. Exiccat enim sine morditatione, & ablutio infusionis eius in vino, aut aquâ rosatâ, aut succo fœniculi præparato abstergit oculos, & addit in visum, & stringit lacrymas, & ipsum quidem acuit sensus & rationem, & confert hepati, & aufert icteritiam: nocet tamen hæmorrhoidibus & ano. Hæ sunt illæ prærogativæ ac præ cæteris medicamentis potiores Aloës vires priscis agnitę, quæ Aloen nullo modo in harum Pilularum structura prætermittendam suaserunt. Nõ sit autẽ quispiam, qui Mesuei hęc verba formidet, quod eam orificia venarum reserare ac hæmorrhoidibus & ano nocere tradiderit, id enim sano modo intelligẽdum, quomodo enim Dioscorid. lib. 3. c. 22. naturã eius spissare, exiccare, & corpora densare scripsis-

fiſſet? de qua hæc ſubjungit: *Sicca glutinandis vulneribus inſpergitur, ulcera ad cicatricem perducit cohibetq́, eadem peculiariter exulceratis genitalibus medetur, & diſrupta puerorum præputia iungit, condyloata rimasq́ ſedis ex paſſo ſanat: hæmorrhoidum abundantiam & ſanguinis eruptiones ſiſtit, pterygia ad cicatricem ducit, livores & inſignita ex melle tollit.*

Videntur hæc ac ſunt, niſi alitèr negotium componatur, planè contraria. Adſtipulatur Dioſcoridis opinioni Galen. lib. 6. Simpl. med. inquiens: *Sanat ulcera, quæ ægrè ad cicatricem duci poſſunt, & maximè quæ in ano ſunt & in pudendo.* Veruntamen ſatis fit objectioni huic facillimè, ſi dicamus Aloës uſum duplicem exiſtere, unum, ſi intra corpus exhibeatur, alterum ſi exteriùs adhibeatur:

&

& revera Aloë interiùs aperit, exteriùs arctat, glutinat, ſiccat & ſtringit, quæ & eadē lota & illota porrigitur: illota quidem ut abſterſione magis purget quàm aſtrictiōe roborat; lota verò ut magis aſtrictione roboret, quàm abſterſione purget. Nec obſtat diverſas quandoque eidem medicamini vires ineſſe, cùm plurima ſint diverſas vires exerentia, nam vel Abſinthiū ſtrictam ſolvit alvum laxamq; cohibet, & acetum vacuum ventriculum contrahit, laxat verò repletum; Serpentariæ radix menſes cohibet, flos certo quorundam experimēto eoſdem promovet, quales quidem proprietates in aliiſ quoque compluribus reperire licet, prout in Roſa, ex qua & laxantia & ſtringentia medicamenta parantur.

Diverſæ quandoq; vires uni eidemq; medicamento inſunt.

Eſt & alia circa Aloen difficul-

tas, quam Gale. 8. de Comp. Med. sec. loc. in Hieræ mentione tangit his verbis: *Infestissima est Aloë etiam lota, his qui citrà vitiatos humores ex intemperie calida & sicca* (intellige nuda) *affliguntur. Proximam ab his læsionem percipiunt, qui siccam intemperiem habent etiam cum frigiditate coniunctam, & in universum, qui ex solâ qualitate particulam aliquam læsam habent. Etenim in humoribus intemperatura, pharmacis ipsas evacuantibus egent, quæ verò absque his consistunt, penitùs in tabem deveniunt, ex pharmaci huius ex Aloë constantis usu.* Hæc Galenus.

Galeni locus de Aloe explicandus.

Ægineta quoque, postquam profusè in laudibus Aloës deprædicandis versatus esset, tandē lib. 2. cap. 53. ita scrbit. *Verum medicamentum ex Aloë ad marcorem perducit.*

Hæc

Hæc sunt quæ Aloës famam nõnihil infringere ac diminuere videtur, veruntamen nulla in his apparet, vel exigua saltem difficultas, quod enim de apertione venerarum & hæmorrhoidũ læsione Mesueus scripsit, de Aloe non lotâ accipiendum, vel intelligendũ, quæ aut Bdellij, vel Tragacātæ permixtione non est correcta. In Pilulis vero Marocostinis non modo Aloë lavatur, ut impuriores partes infuso à purioribus nobilioribusq; separentur, Sed & Ammoniacum Bdellij locũ supplere videtur, utpotè virib⁹ huic affine, adeòvt omnis hîc difficultas sit evanida, præsertim cũ succus Citri & Limonum nec nõ Mucharum Rosarum accedat, quæ omnia Aloës acrimoniam ad sanitatem temperare nascuntur, nam & Aëtius Tetrab. 1. Serm. 3. Aloes fama vindicatur.

cap.24. Aloen Citri succo convenientissimè excipi docuit.

Deinde verò pensandum, quòd Aloen non simpliciter hæmorrhoidibus & ano adversari, vel ijs locis obesse ac eorundem damna causare dixerit, quinque enim harum partium affectionibus non subsunt, aut naturali vel vitio, vel inclinatione, vel parato aut introducto jam habitu hæmorrhoidũ vacuationes statis circuitibus redeuntes ac revertentes non sentiunt, his Aloë nihil nocumenti affert, ideò legitur Aloen ijs solũ, qui hæmorrhoidas patiuntur, adversam esse, non itidem alijs; nam his qui hæmorrhoidibus tentantur, omnia ferè medicaměta, purgantia vim inferre observavimus, non modò quia alvum stimulant, partes intestinorum præsertim verò longaonis finem ad ani musculum

sculum vellicantia, sed ea potissimùm ratione, quod purgando acres è remotis ac superioribus corporis partibus humores ad alvum deducant, qui transeundo rara ea loca & pro more suo aut circuitu, cui assueverunt, sponte recludi solita, ideoq; rara ac tenera vel delicata necessariò vellicāt, & exasperāt. Atqui verò hæmorrhoidas patientibus ac Dysentericis has Pilulas nemo porrexerit, quod suo loco monuimus; prout nec gravidis, cum pauca sint medicamina has non offendentia, nam & res optimæ intempestivo usu in detrimentum cadunt, juxta illud Poëtæ:

Et data non apto tempore vina nocent.

Locus ille Galeni suprà cit. 8. de Comp. Med. sec. loc. de intemperiebus nudis absq; humorum

copulatione corpora fatigãtibus intelligendus,nam & seipsum explicat, qui sic sonat: *His qui citra vitiatos humores ex intemperie calida & sicca affliguntur.* Et iterum: *Qui ex sola* (id est, nuda) *qualitate particulam aliquam oblæsam habent. Etenim in humoribus intemperatura pharmacis ipsas evacuantibus egent, quæ verò absque his consistunt, penitùs in tabem deveniunt, &c.* etenim nec alia medicamenta purgantia nudis intemperiebus seu affectibus à simplici qualitate profectis unquam vel prosunt, vel prodesse queũt, quod idem Galen. monuit de Medicinis expertis, cum ait: *Et debes cavere in curatione malitiæ complexionis sine materia ab evacuatione, & è converso.* Et Hippoc. sapientissimè in Aphor. etiam sanos, si phar-

macis purgentur, facillimè exolui scripsit.

Igitur medicamentum ex Aloë eos solùm ad marcorem perducet, qui ex intemperie solâ ac nudâ, eaq; siccâ, sive calidâ, sive frigidâ, laboraverint, quod quidem rarò contingit his præsertim in terris, ubi liberior victus pro gẽtis more ac consuetudine cunctis est familiaris, imò quòd ad potũ uberiorem Germanis nostris fermè congener, sicut & Britannis, Gallis ac Belgis, Danis non minùs ac Scotis, quàm Polonis plenior pastus, aut laxior edacitas, aliquãdo plus appetitus illectamento noxia, quàm incolumitati commoda, superfluam cruditatum ac humorum supervacaneorum copiam naturæ quandoq; gravem, aut periculi instar futuram crebriùs subministrat.

Datur porrò Aloë,ex Pauli Æginetæ lib. 7. cap. 4. consilio ac suasu, *capite gravatis, lippientibus, siticulosis & quibus in somnis imagines observantur citra febrem. His etiam qui horroris discursum percipiunt, & qui flatus aeres excernunt, & intestina morderi sentiunt, & circa stomachum fervorem, aut fastidium everforium percipiunt.* Et paulò post: *Nam abunde evacuat, totum quidem corpus non evacuans nisi valdè multa detur, sed insidentem intestinis ventriq; ac stomacho bilem educens.* Recenset is idem lib. 4. pueris lumbricos in ventre habentibus Aloën supinis ipsis detentis, & ore per cochlearium disparato vi inijci olim solitam fuisse, efficacissimo potiùs remedio, quàm methodo mirandâ; etenim amaritudinem ipsius non sustinentibus in catapotia effingi jussit

Paul. Aegineta de Aloe.

jussit hic ipse auctor loco supra citato, cùm (ut Gal. lib. de Med. expert ait) Medicina quam infirm° habet in odio, plus nocere quàm prodesse soleat. Sanè amarissima est Aloe, unde apud Plautum vitam hominis *plus Aloës quàm mellis* habere legitur; & apud Juvenalem de uxore,

Plus Aloës quàm mellis habet.---

Attamen plurimis corporis affectibus subvenit, humiditates enim pravas in ventriculi tunicis imbibitas prolicit & avellit, eodẽ Ægineta lib. 2. cap. 55. teste. *Sed & prodeuntes ab his intemperiebus noxas arcet, & à corporis intemperie in mentem transeuntes ac animum percellentes morbos antevertit, aut iam factos mitigat.* Etenim idem Ægineta lib. 3. cap. 14. de Melancholia & insania, & his qui numi-

ne afflati putantur, Aloës usum quotidianum cōmendat his verbis: *Purgare igitur ipsos convenit ab initio Epithymo aut Aloë. Horum enim etiamsi modicum singulis diebus acceperint, maximè prodest & leviter subducit.*

Aetius de Aloe. Subscribit his omnibus Aëtius auctor sanè priscus & inter præcipuos à quibus vis oris ac ordinibus susceptus Tetrabib. 1. Serm. 3. cap. 24. inquiens: *Aloe totum quidem corpus non purgat, verùm sitam in stomacho & ventre ac intestinis bilem citra molestiam educit, ac placidè unâ cum subiectis excrementis: Datur itaque his quibus caput affligitur, propter assiduas fientes ad ipsum de stomacho evaporationes, excindit enim inutilium vaporum allationem. Danda est & Lippientibus propter eandem causam, & his qui ob bilis augmentum sitiunt,* qui-

quibus lingua & os facilè resiccatur, & qui circa stomachum ardorem & nausea, aut molestiam aliqua eversoria percipiunt. Præbetur & his, qui præter rationem pallidiores facti sunt, & in quibus superfluitate reductione indigent.

Has ob causas Aloën Pilulis Marocostinis meritò indidimus, eâque quasi quandam earum basim jure optimo effecimus, aliorum sibi in hac compositione junctorum medicaminum ope suffultam, quæ per se sola quidẽ pro tuẽda sanitate ritè pręparata sufficere potuisset, ac plurimorum hominum vires, robur, incolumitatemq; unicè jam olim tutata est, quorum ætatem ad longos dies & annorũ liberiorem liberalioremq; propaginem produxit. Arcet enim ea omnes cujuscunq; generis putredines, tàm in vivis, Aloe quare huic medicamento indita.

quàm in mortuis, cadavera etiam ipsa à corruptione ac interitu præservans (qua de re satis copiosa mentio facta est in cap. de Myrrha) præsertim verò humores hujus usu ab omni corruptela vindicantur, unde febribus putridis multò minùs malignis, cõtagiosis ac pestilentibus materia, aut focus in corpore vix unquam tantus relinquitur, ex cujus fomite vitam edens flamma succrescera possit..

Si quod viscus extra pulmones, vesicam ac alvum cariem sensit, Aloë suppetias fert, nec est quod quispiam interaneorum animalia, utpotè vermes, lumbricos, ascarides ac similia, vel in vẽtre progigni, vel in hoc ipso permanere posse vel credat, vel metuat, si quis Aloen crebrò sumpserit, cùm nihil in homine vivere per-

permittat, nisi quod ad ei⁹ partes vel vitam spectet. Quod si caput catharris obnoxium humido, eoque effumanti ventriculo correspondet, ac defluxiones ad articulos ruituras molitur, Aloë has subtrahit, adeò ut ausi fuerint præclarissimi medici, inter quos honoratissimus D. D. Thomas Mörmannus p. m. Serenifs. D.D. Bavariæ Archiater fidelissimus, multaque experientia clarus, ijs qui sibi continuum Aloës usum familiarē fecerint, polliceri, eos ab omni Podagra & Arthritide securos futuros, ut quibus à quotidianis ingestorum cruditatibus ac recremētis, imminutis morbi aut gravaminis causa, quotidie in ventris sentinam derivaretur, articulis nullatenus obfutura, quæ alioquin à nobilioribus visceribus ad ignobiliora membra de-

Thomæ Mörmannĩ p.m. de Aloëticis medicamenti opinio.

mandari consuevisse, vel eo procumbere soleret.

Aloe Balsamus est natura.

Itaque Aloë Balsamus est quidam naturæ cūctos humores succosq; siquidem naturales adhuc fuerint, conservans, præternaturales evacuans, medios emendās, universos putrefieri ac corrumpi prohibēs, jam enim solidis partibus à Myrrha has Pilulas subingrediente tutela præstatur, quam firmam corporis cōpagem ejusq; fulcra, utpotè membra, nervos, ossa, & eorū pleraq; tutaturam suprà spopōdimus, ab Aloë humorum fluētium ac refluentiū commoderationē & (ut prisci loquūtur) rectificationē, à Croco verò Costo & Agallocho spirituū hinc inde commeantium depurationem ac suffectionem expetituri.

Non est dignus Aloë, qui Aloën non novit, vel qui ob amaro-

rorem eius citiorem mortis amaritudinem experiri cogitat, securior namque est Aloës amaritudo in ore quàm necis præcipitium, non minus acerbum in ventre. Nec studet sanitati, qui amat dulcia, videturq; natura sub amaritudine multa prorogandæ valetudinis remedia abscondisse ac collocasse, ne quilibet ad stultam lõgevitatem adspirans ea lamberet, quomodo & spinis aculeisque aut tetro quodam odore, ut & à brutis immunia persisterent, præcipuas quasdam plantas armavit. Prostet hic Rithmus.

Tota ventris valetudo,
Oris fit amaritudo.

Germanicè,

Bitter inn dem Mund/
Macht das Hertz gesund.

Ergò Aloë nostri medicaminis basis futura nullatenùs tam famoso


moſo pharmaco deeſſe debuit, ut quæ non ſolùm vivis, ſed etiam mortuis commodaret. Deſunt enim ſcrupuli eius aſſumptionem reddentes formidoloſam; ſiquidem ea humanæ vitæ valetudinis tutandæ, ægritudinibus propulſandis, morbis præcavendis, diverſis adverſitatibus anteverten-dis, vitæ prorogandæ, ætati extẽdendæ, calamitatibus corporis futuris obſiſtendis, ad diem hujus lucis elongandum, nepotes conſpiciendos ac ſubventuram prolem in tertiam generationem uſque cõtemplandam, aut ſi homo mortalis non foret, ad ævitatem præſtãdam à DEO ter Opt. Max. data, condita ac creata; cui ſi quid nocivi, (prout in caducis his fieri aſſolet) hæſerit, id omne admixtione, confuſione ac temperaturâ eorum liquorum, qui ad compo-

ſitio-

ſitionem hujus pretioſi medicamenti poſtulantur & exquirũtur, commodiſſimè tẽperatur, corrigitur, tollitur, ac emendatur. Sanè qui valere voluerit, Aloëticis haud quaquam valedicat, ſed cũ Aloë ſeſe alat, quamvis amara non nutrire dicat Philoſophus, conſervare autem dicat Medicus; nam & duplex eſt paſſio (ut Averrhoës ait) corruptiva nimirum & perfectiva, quarum poſtremam in Aloës uſu delegimus, orbi & urbi plurima, Deo dante, commoda laturam.



Cap.



Caput Vndecimum.

DE LIQVORIBVS *& succis ad Confectionem Pilularum Marocostinarum requisitis, &c.*

Succi & liquores ad cōpositionem huj' pharmaci requisiti.

OPERÆ pretium est, ut post absolutam simplicium Pilulas Marocostinas constituentium tractationem, succos quoque ac liquores quibus prædicta simplicia medicamenta junguntur, eorumque vires prolectantur, donec in massam coëant, examinemus; quædam enim prædicto-

ctorum sese mutuò corrigunt, aliqua sese invicem temperant, nonnulla junctis simul viribus fortificata unâ potentiùs agunt, pleraque verò ita rem omnem, ac negotium hocce disponunt, ut ad intentionem medicaminis & singula per se, & cuncta simul tendant ac quodammodo colliment.

Primò autem sese nobis offert acetum Scilliticum ad Ammoniacum thymiama dissolvendum necessariò requisitum, id enim aquis, quia pingue est & unctuosum, dilui nequivisset. Intendit acetum jam dictum Ammoniaci vires quàm maximè, transfusâ in id incidendi, attenuandi, penetrandi, dissecandi, aperiendi, concoquendi ac resolvendi majore potestate, quod & ipsum per se tãtis facultatibus pollet, ut eius enco- Acetum Scilliticũ.

comio deprædicando nec prisca, nec moderna sæcula suffecerint, utpotè quod vitæ dies in longam ætatem multo numero sit producturum. Etenim Samius senex usque ad centesimum decimum septimum annum crebra eius usurpatione adeò incolumis pervenit, ut eum nulla unquam adversa valetudine tentatum fuisse Galen. scribat, qui idem omnes Imperatores eo usos esse testatur; id enim Comitialibus, Phthisicis ac ægrè spiritum ducentibus commodare, sensus omnes acuere, excrementa corporis quęcunque, etiamsi in ossibus sordes inhæreant, expurgare, salsos acidosque ructus cōpescere ac supprimere; splenis, jecoris & articulorum morbos antevertere, ac in summa hominem ad civilia munia peragenda promptissimum reddere do-

Aceti Scillitici vires ex Galeno.

docuit, quod quidem Pythagoræ inventum in plurimas utilitates sibi subsecuta posteritas adaptavit. Palladius acetum Scilliticum digestioni & saluti accommodatum vocavit, & digestionis auxilia concitare scripsit. De hoc Dioscorid. lib. 5. cap. 17. *Colluuntur ex utiliter putrescentes humore gingivæ, eas enim reprimit & firmat, quin etiam mobiles eo confirmantur dentes. Compescit quæ in ore exeduntur, graveolentiamq; eius efficacius emendat. Solidescit potu eius guttur. Callum faucibus obducit, validioremq; vocem & clariorem reddit. Datur item utiliter cibum in stomacho non continentibus, cruditatibus, comitialibus, vertiginosis, melancholicis, concrescentibus in vesicâ calculis, muliebrium locorum præfocationibus, tumentibus lienibus & coxendicis doloribus: vegetum colorem*

Aceti Scillitici vires ex Dioscoride.

lorem reddit & coloris bonitatem ei acquirit. Hæc Dioſcorides. De aceto Scillitico ſi Meſueum audiamus, is facultates Scillæ plano ac ſimplici ſermone ſic perſtringit: *Solutione educit humores groſſos & viſcoſos, & dixit Hali; etiam cum hac ſolutione educit choleram nigram, & eius iuvamentum eſt magnum ad ægritudines capitis ſicut Cephalea, & Epilepſia, & propriè ſecundùm omnem modum adminiſtrationis eius & vertigo, & ſcotomia, & oxymel eius ponit materias viſcoſas faciles ad expellendum, & ſubtilitat humorum groſſitudinem. Et ipſa quidem ſecundùm omnem modum adminiſtrationis eius confert iuvamentum magnum ægritudinibus iuncturarum, & eſt medicina bona pulmonis & pectoris, & ægritudinum in eis propriè Electuarium ex ſucco eius & melle ſumptum lambendo clarifi-*

Aceti Scillitici vires ex Meſue.

rificat vocem & similiter oxymel eius, & acetum ipsius, & est ex medicinis bonis spleni & grossiati eius, & est ex rebus praeservatibus corpus à putrefactione & conservantibus ipsum in sanitate sua, & acquirit usus eius maciem corpori, & conservat in iuventute. Hæc Mesue & quidem plura lib. de Simplicib. de Squilla.

Secundus liquor quo Myrrha diluitur, acetum est Rutaceum, quod compositionis ratio venenosos morbos per medicamenti hujus efficaciam juvante DEO, ope&opere depulsura requisivit. Cùm enim omne acetum desiccandi facultatē habeat, dissipandiq; præterea & discutiēdi vi prę-ditum sit, multò hæc magis utrumque acetum, & Scilliticū nimirum & Rutaceum præstabit: Spumat aceto respersa terra, & saxa

Acetum Rutaceū ad Myrrham diluendam compositioni huic adhibitū.

ſaxa quoq; quę ignis nõ coxit eius infuſione rumpuntur, quod Hannibal ad Taurinos ſaltus in difficili alpiũ tranſitu feciſſe legitur. Deſiderium quoque comeſtionis acetum inſtaurat, nam & Lacones cum acetum & ſalem coquo dediſſent, reliquum in ipſa victima quærere jubebant.

Aceti Rutacei vires.

Novit crudum vulgus quantum aceto Rutaceo debeat, & quales id ei laudes deferre ſoleat, omnes agnoſcunt. Ruta enim venenorũ antidotum exiſtit, unde muſtelam cum ſerpente dimicaturam rutam præmandere, ejuſq; guſtu ſe præmunire conſueviſſe ſcripſerunt ij, qui medicam materiam eiusq; auxilia obſervationibus fideliter annotatis digna, in poſteros trãsfundenda eſſe rectè cẽſuerunt: Nam & Athenæus inter priſcos recenſet, põticum tyrannum de

ad cõvivia vocatos porrectis inter epulas venenis necare solitũ fuisse, quod invitati cùm animadvertissent, Rutá se præmunierunt, prout legitur 2. declam. de vita Galeni.

Athenæus de Ruta.

Hinc Mythridates tantus rex, duarum & viginti gentium domitor ac Princeps, quarum omnium linguas cognitas habuisse, ac quibus iura dixisse scribitur, (de quo Plin. senior lib. 7. cap. 24. & lib. 25. cap. 2. Solinus cap. 7. Gellius lib. 17. cap. 17. Valer. Max. lib. 8 cap. 7. Sabell. lib. 10. Petrarcha lib. 2. tract. primo cap. 11. plura referunt) Rutâ Antidotum suam, quâ sese contra lethalia venena tutatus est, composuisse fertur, prout testatur Macer in Poëmatibus.

Obstat pota mero, vel cruda comesta venenis.

Quod Mithridates Ponti Rex sæpe probavit,
Qui Rutæ folijs viginti cum sale pauco,
Et magnis nucibus binis, caricisq́; duabus,
Ieiunus vesci consurgens manè solebat,
Armatusq́; cibo tali quascunque veneno
Quilibet insidias sibi tendere non metuebat.

Versus Macri de Ruta.

Vide Plinium copiosissimè de Mithrid. Antidoto scribentem.

Sanè Rhases Arabs, qui multa in Medicinam contulit, Antidotum hanc paululùm pro judicio mutatam ad Almansorem Saracenorũ regem misisse legitur. Nõ enim cõtra adversam valetudinẽ solùm, sed etiam contra incantationes ac veneficia Rutam valere veteres crediderũt, quam adversus

ſus faſcinationes appendebant, ejus uſu cacodæmonum malitiam ſuperaturi, Ariſtot. forſitan in Problem. hortatu inducti.

Bernhardus ſecundus Dux Saxoniæ ad pedes Friderici Imperatoris Rutam pro diſcrimine fratrum in cęlamine clypei impetravit, quod ſertum paternis inſignibus Cæſar adjecit, de quo ſerto tēpore Gotheni belli Anno 1567. Michaël Bares Annebergenſis Profeſſor hæc carmine protulit. **Ruta in inſignijs Ducum Saxoniæ.**

Hoſtibus adverſi gladij ſunt, Ruta venenis:
Hoſtem enſis ſtrictus, Ruta venena necat.
O gladij æternum rutilent, & Ruta vireſcat,
Nec ferrugo illos occupet, hanc ne hyems.

Scribit Plutarch. in Sympoſiacis, & Plin. lib. 19. tantam eſſe Ru-

Rutæ & Ficus amicitia.

tæ cum Fico familiaritatem aut sympathiam, ut hæc nullibi suavior ac sapore mitior, quàm sub ficu proveniat. Alij furto subtractam festivius germinare arbitrātur, suam quilibet opinionē reddat sanam. Nos autem Rutam acuēdo visui prodesse scimus, nec non libidinem reprimere posse novimus, unde ea à castimoniæ addictis inter edulia admittitur: testis est utriusque versus vulgi voce tritus.

Ruta castimoniā fovet.

Vtilius sumes acuentes lumina Rutas,
Et quidquid Veneri corpora nostra negat.

Generationem sanè Ruta inhibet ac fœtum perimit, abortumq; vitiat; infesta proindè prægnantibus ac gravidis, quando fœtus ea necari invenerunt, ad coxendicum tamen dolorem & articulo-

rum

rum vitia prout & contra venena plurimùm valet.

Igitur Myrrha putredinibus præcipuè adversatura hoc aceto perbellè diluitur, cum Ruta corruptioni cuivis adversetur, unde febres malignas pellit ac plurimùm pesti contrariatur, quod ipsum Poëta hoc metro expressit.

Namq; ferunt Rutam pestes arcere nocentes,
Nec propè eam fœdis vermibus esse locum.
Sed ceu Iuniperi gravis est cantantibus umbra Ruta pestis Alexipharmacum.
Et taxi incumbens tristior aura nocet.
Sic quoque Ruta potens, -----

Medici experti inveteratos stomachi dolores, cruditates, vẽtris inflationes ac colicos dolores, hucúsq; Rutâ compescuerunt, visum ejus usu acuẽtes, quod Poëta

significans Rutæ vires sic carmine complexus cecinit.

Ruta visum acuit.

Singultus acidos pellit gelidumque lienem
Igne suo, umbrosis optima Ruta oculis,
Si semen hanc lascivum odit rabidumque venenum,
Discupit hanc nervus caliacusque dolens.

Perstringit eius vires lib. 3. cap. 45. Dioscorid. inefficaces; si cum juglandibus & ficis aridis præmãdatur venenorum vires redditurum pollicitus, ac à Mithridatis (cujus supra mẽtio facta est) imitatione antidotum sortitus, quam Serenus Sammonicus hoc carmine descripsit.

Versus Sereni Sammonici de

Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Consociata modis, quam magnus scrinia regis,

Cum raperet victor vilem deprendit in illis Mithridatis Antidoto.
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit,
Bis denum Rutæ folium, salis & breve granum,
Juglandesq; duas totidem cum corpore ficus.
Hæc oriente die parco conspersa lyæo,
Sumebat metuens dederat, quæ pocula mater.

Veruntamen potiores ejus dotes prodit Dioſcorides ampliùs loco citato affirmans, eam lethaliũ venenorum antidotum exiſtere, genituram extinguere, contra inteſtina vitia efficacem eſſe; lateris, pectoris, coxendicum articulorumq; dolores & affectus mitigare, ac oculis qui hebetudinẽ ſenſêre opitulari docens, cujus ſuccum gallinaceis pullis aſpersũ fe- Rutæ vires ex Dioſcorid.

 les.

les quoque arcere ibidem ex aliorum relatu tradidit.

Flavij Iosephi de Ruta Macheruntica locus.

Plantam Rutæ mirabilis magnitudinis visam fuisse Macherunti in oppido quodam Iudææ satis munito Flavius Joseph. lib. 7. de bello Judaico cap. 25. testis est, quam regiam Rutam mirabilis magnitudinis, à nulla ficus celsitudine victam fuisse, ac ab Herodis temporibus profectam, sed à Iudæis locum vi occupantibus excisam esse memorat. Sat sit, quod

Salviâ cum Rutâ faciant tibi pocula tuta.

Acetum igitur Rutaceum meritò ad Myrrham diluendam dissolvendamque hîc requiritur, venenis, putredinibus ac malis jam recensitis, si non abolendis saltem præcavendis reluctaturum, cujus dotes & novit antiquitas, & posteri

ſteri à maiorib⁹ edocti haudquaquam vili penderunt, in modernum uſque tempus eius uſui familiaritèr ac confidentèr aſſueti.

Sequitur nunc Mucharum Roſarum ad Aloën diſſolvendam, temperandamq; idoneum, cujus loco ſuccum Roſarum priſci pro corrigendâ Aloë uſurpabant, atq; inde Aloën Roſatam effecerunt, nobis verò Mucharum ſuccoRoſarum æquipollere, imò medicamentis aliquam purgandi vim habentibus potentiùs cooperari videtur. Itaque pro antiquo veterum moreRoſarum hîc viribus Aloë imbuitur, etenim Mucharũ Aloës caliditatem nonnihil obtúdit; refrigerat enim, lenit & humectat: putredini, venenis ac febribus contagioſis ipſiq; Peſti potentèr reſiſtit, ac viſcera corroborat, unde mirum non eſt antiqui- Mucharũ Roſarum. Mucharũ vires.

tatem ſeſe adeò in Roſæ admirationem effudiſſe, ut Anacreon vetuſtus dicat:

Anacreonis de Roſa verſus.

Roſa flos odorq; divûm,
Hominum Roſa eſt voluptas,
Decus illa gratiarum
Florente amoris hora
Roſa ſuavium Diones.
Quid plura? nonne multis
Medicina certa morbis?
Huius ſenecta ſuavem
Servat iuventa odorem.

Roſa florum Regina.

Non immeritò igitur apud Achillem Statium lib. de Leucippæ & Clitophontis amoribus ex Oda Sapphus ſcribitur, ſi Jupiter floribus regem imponere vellet, Roſam inter flores regnum obtenturam, ſtudet enim hæc pluribus ſenſibus, utpotè oculis, naribus, & palato.

Poëtæ Roſas omnes primitùs albas extitiſſe tradiderunt, quas poſtea

postea ex vino à cupidine alis in cæna deorum lasciviente sparso, hoc colore tinctas finxerunt. Alij verò Martem Zelotypum Adonidem interfecisse, ex cujus cruore his eis color conciliatus fuerit, opinantur. Nonnulli Adonidi cū ab Apro occideretur, Venerem opem laturam, cum per dumeta accurreret, pedem vulnerasse, eoque sanguine tactas rosas rubescere cæpisse fabulantur, quam fabulam hoc disticho expressit Laurentius Lippius: Poetarum de Rosis figmenta.

Per sylvas Cytheræa suum dum plorat Adonim
Purpureas fecit sanguine mæsta rosas.

Et Georgius Ostratius.

Ante quidem nivea rosa succrescebat amictu,
Sed modò Cidalio sanguine sparsa rubet.

Rosæ olim Auroræ dicatæ.

Erant olim apud Ethnicos Rosæ Auroræ dicatæ, unde apud Ovid. 2. Metamorph. legitur

—— Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora faces & plena Rosarum
Atria.

Sed & Veneri sacrata fuit Rosa, quam tamen Cupido Veneris filius Harpocrati silentij Deo digito labellum compescenti donavit; fluxisse hinc ille mos videtur, ut in cœnaculis Rosa lucunaribus supra mensarum vertices affigatur, ut quisque sit secreti tenax nec facilè divulget, quæ sub Rosa dicta sunt, extat hac de re carmen hoc,

Rosa cur supra mensas appensa.

Est Rosa flos Veneris, cuius quo furta laterent
Harpocrati matris dona dicavit amor.

Inde

Inde Rosam mensis hospes suspendit amicis,
Convivæ ut sub eâ dicta tacenda sciant.

Sed & dijs gentium dæmonibus lucta est circa Rosam, quam enim veteres Auroræ, Cupidini, Veneriq; dicarunt, hanc Turcæ (ut Augerius Busbeckius in suo itinerario notavit) Mahumeti deferunt, ex cujus sudore eam ortam esse sibi persuasum habent, ac si flos tam fragrans ex tanta tam sordidi nebulonis spurcitie succrevisset, cùm tamen Rosa sordidis plerisque etiam infectis adversa esse soleat; ea enim utilem mellificio materiam api præstat, araneæ venenum. Hinc Christophorus Manlius in carmine,

Turcarũ stolida opinio explosa.

Una eademq; Rosa, cernis, sibi turpis Arachne

Rosa araneis inimica.

Contiguam & sedem sedula cepit apis.
Aereum hac nectar, dirum trahit illa venenum,
Namque favum prius hac, virus at illa gerit.

Et Janus Jacobus Boisardus in Emblemat.

Toxica ab hoc carpit sub imis aranea flore
Dulcia quo parva mella parantur api.

Unde etiam Cantharides aut scarabei Rosam non tolerant aut sustinent, etenim

RosaCantharides interficit.

Cantharidum Rosa mors, sic luxus delitiaq;
Enervant animos, eripiuntq; virum.

Nam & Hannibali alioquin duro ac rigido, sed ob Capuanas delitias tandem effæminato scutum offerri debuit, in cujus medio scara-

Scutum Hannibalis.

rabeus, quem Rosarum sertum amb ret, depictus esset, quod Pierius in Hieroglyphicis refert. Scipio verò ex Africa reversus, & primus de eodem Hannibale triumphaturus militibus octavæ legionis, qui primi Carthaginensiũ castra oppugnassent, ac Ducis eorum insignia abstulissent, fasciculum Rosarum gestandum, immò clypeis depictas Rosas ferendas concessit, quod etiam posteriorẽ Scipionem fecisse historiæ memorant. Sanè apud Homerum Achillis scutum Rosis fuisse insignitum legitur, nec non cassides Hectoris & Æneæ. Arminius Germaniæ Princeps Rosam in insignibus habebat, unde legitur,

Scutum Achillis.

Statua torquentis molli de vellere signum,
Quod pictam medio continet arte Rosam.

Insignia Arminij.

Mar-

Marchiones Brandeburgẽses Comitesque de Eberstein antiquissimæ prosapiæ, nec non plurimæ familiæ strenuâ nobilitate claræ, à multis lustris Rosas inter sua insignia gloriosè locatas habent.

Nam Rosa Principibus meritò gestanda videtur.

Rosa signũ lætitiæ.

Fuisse olim Rosam signum lætitiæ colligitur ex Plin. lib. 21. cap. 3. ubi refert L. Fulvium Argentarium bello Punico secundo quòd tẽpore eo funesto ex pergula sua rosis coronatus in forum prospexisset, unde cæteris mœrentibus solus lætari videbatur, in carcerem tamdiu conjectum fuisse, donec bellum finiretur.

Rosaceum itaque Mucharum (quòd nil aliud est, quàm infusio Rosarum recentium octies repetita) Rosarumque stillatitius liquor huic medicamini conficien-

endo idoneè subvenit, utpotè cordi ac spiritibus opem laturus. Novimus testāte experientia Rosacea medicamenta stomacho, jecori, pulmonibus, cordi, imò & universis visceribus dissolutionē ac laxitatem ex hebitudine, putredine aut corruptela aliqua dependente patiētibus, eximiè prodesse, acres sanguinis ichores salsumq; serum nihilominus pro diverso apparatu, ac contraria qualitate Rosis insidente, qua & laxant & adstringūt, educere; atram bilem & adustos humores, retorridos planè ac enormes cutim fædaturos, scabiem, ulcera, furunculos, abscessus, melicerides, lichenas, psoram, ipsamque tandem lepram causaturos faciliter emungere, hinc Poëta

Rosarum insignes dotes ac facultates.

Purgat & obscænam vultu rosa perlita lepram.

Ca-

Calores hæc ſimul febriles extinguit, ac jecur ſupercalfactum temperat, tabi, conſumptioni, marceſcentiæ Hecticæque adverſa; quod Poëta notans hæc de aqua Roſacea effatus cecinit:

Atque ubi lethifero corpus ſuccenditur æſtu,
Et torret calidum febris anhela iecur,
Non magis utilior tabem levat herba calentem
Illita quàm coſtæ ſi datur unda Roſæ.

Hæc enim omnem impuritatem cunctamq; ſpurcitiem à corde repellit & arcet, nam & fæditates alias evincit; quod Botanici obſervantes Roſam juxta Allium plantatam odoratiorem fieri notarunt, ac ſi Roſa nobiliorem ad ſe ſuccum traheret, ac contraria, ut fœdentia & odorata, juxta ſe

Roſa juxta Alliũ plantata odoratior evadit.

po-

posita magis elucescerent. Unde Camerarius in Emblem.

Livor iners stimulos generosis mentibus addit,
Sic per fœda rosis allia crescit odor.

Hæc enim

---------------- præbet honorem
Cælitibus, templisq; Sabæum miscet odorem

Non esset vel lux, vel luxus Apothecis, si Rosa Pharmacopæis desideraretur; ex hac siquidem Conservæ, Sacharum, Pulveres, Succi, Syrupi ijq; varij, alij ad solvendam, alij ad stringendam alvum idonei, quin etiam Pulveres Aromatici, Rosati, Diarhodō Abbatis, Rosatæ novellæ, Electuaria de succo Rosarum in solida liquidaqué forma, & Electuarium Rosatum Mesue in huncusque diem servatum, Oleum Rosatum Ompha-

phacinum, & id quod completū dicunt, Vnguentum Rosatum, Trochisci Diarhodon ac Rosei pastilli à Dioscoride lib. 1. cap. 113. descripti, ac alia plura medicamenta parari consueverunt. Cōficiebantur autem ῥοδίδες pastilli ex Rosis, Indica Nardo ac Myrrha, quibus Costum nonnulli adijciunt ac Iridem Illyricam; veruntamen ij pastilli ad luxum magis spectabant, cùm Dioscorides eos monilium vice collis mulierum circumdatos esse scribat, ut grave sudoris virus retunderent: quos quoq; ad illinationes & diapasmata coërcendis sudoribus accommodata fuisse idem memorat.

Pastilli Rosei.

De Rosaceo Mucharo stillatitiaq; Rosarum aqua scribit Mesue: *Succus eius & aqua infusionis recentium & completarum, solutio-*

Muchari Rosacei vires ex Mes.

ne

ne educit choleram & mundificat sanguinem ab ea, & venas & arterias: & confert Ícteritiæ, & aperit oppilationes hepatis & stomachi, & mundificat & confortat ea. Et confortat cor, & confert tremori eius, & educit materiam causantem eum, & confert cholericis febribus. Rosa verò & oleum eius, & aqua ipsius per sublimationem facta confortant cor, stomachum & hepar, & coadunant partes laxas membrorum, & confortant retentionem; & sedant dolores calidos mira sedatione, & extinguunt ac permutant malitias inflammationum, & sedant eas, & sunt ex medicinis dormire facientibus, &c.

Veteres Rosam in antidotorum ac solemnium remediorum compositionibus raró prætermiserunt, quam & Theriaca, & Mithridatium suscepit. Refert Mizaldus

zaldus puellam lichene & cãcrosa scabie laborantem, ac fædis cutis vitijs turpatã cùm sese desperatione quasi conficeret, remedio ex Myrrha & succo Rosarum parato protinus convaluisse. Et Aspasia formosa Artaxerxis pellex Rosarum auxilio à cancro serpente libera evasit. Rosarum differentias longo sermone prosecutus est Plinius lib. 21. c. 4. Prænestinam, Campanam ac Milesiã Rosam extollens, cui posteriorẽ fecit Trachiniam & Alebandicam; præcocem autem ait Campanam, seram Milesiam, novissimè desinentem Prænestinam.

Rosa diversa Plinio.

Quinque sunt in Rosa partes Medicinæ, una foliorum, altera unguinum, tertia Antheræ, quarta umbilici, quinta calicis: has diversas facultates una natura Rosæ contulit, quam nobis Deus ad

Quinque Rosarum partes.

ad Pilulas Marocoſtinas, & alios quàm plurimos uſus reſervare dignetur.

Tu igitur terræ ornamentum, plantarumque decus florum oculus, prati rubor & amęnitas: pulchritudo coruſcans, & formoſis folijs comata nobilibusque frondibus luxurians Roſa, noſtris his Pilulis tuas quoque vires jungito, tua enim admixtione Rhodopharmacon hoc fiet medicamentum, cujus priſca ſæcula meminerunt: tu Aloën rectificabis, tu cæterorum calorem minues ac temperabis: tu ſanguinem, aduſtos humores elidens depurabis; tu viſcera ſuper calefacta ad commoderationem reduces, tu ea flaccida firmabis, tu putredinem arcere non prætermittes, tu nauſeam fugabis, fluctitantemq; ac in ventriculum regurgitantem bilē abi-

Rhodopharmacum.

abiges, tu cordi robur afflabis, eaque omnia præstabis, quæ de tuis donis à summo Creatore tuo tibi præstitis omnis ætas experimentorum copia ducta hucusq; præsumpsit.

Quartus liquor ad cõfectionem hujus Aloedarij requisitus succus est Citri vel Limonũ.

Ad diluendam autem Aloën succum quoque Citri aut Limonum requisivimus Aëtij hortatu inducti, is Terabib.1. Serm.3. cap. 24. Aloën Citri succo excipi præcepit, in cujus succi viribus deprædicandis universa hucusque Medicorum ætas versata est, adeò ut & nomen Malorum medicorum hic fructus nõ adjectivè, sed substantivè loquendo adeptus fuerit. Ferunt Palladium Neapolitanũ ea primùm ex Media in Italiã transplantasse, eaq; in Media primitùs prognata fuisse ex Virgilij carminibus lib. 2. Georg. colligere possumus, ubi sic fatur:

Me-

Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum
(Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba)
Auxilium venit, ac membris agit atra venena
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro,
Et, si non alium latè iactavit odorem,
Laurus erat, folia haud ullis labentia ventis,
Flos apprimè tenax, animas & olentia Medi
Ora fovent illo: & senibus medicantur anhelis.

Citria ma la eorumque vires.

Citria hæc mala venenis potentissimè resistere compertum est, cui rei fidem fecit Athenæus per

historiam maleficorum,qui condemnati cum aspidibus in prædam exponendi deducerentur, in itinere à caupone misericordiam exercente ac tremulis & sitibundis ijs Citrium pomum offerente adeò sunt præservata, ut cùm in theatrũ descendissent, à ferocissimis feris demorsi nihil noxę sẽserint. Tentata rursus postera die antidotus, unus cui pomum negatum fuerat, livore fœdatus interijt, servato altero, qui pomum hocce præmãserat. Scripsit Theopompus Chius, Clearchum Heracleotam Ponti tyrannum multos sustulisse exhibito veneno, pluresq; necare voluisse, nisi Citrij pomi vis alexipharmaca populo innotuisset, quo priùs comesto sese ab eius epulis securum reddebat. Theophrasti senioris ac Plutarchi ętate mala hæc non co-

Citrium pomum cõtra venena.

mesta

mesta esse, sed Parthorũ proceres grana solummodò eorum seu semina commendandi halitus ac recreandæ animæ causa esculentis incoxisse ex veterum dictatis cognovimus.

Medica malus ex Media, unde nomen accepit, per bella Persarum, quæ Darius intulit, venenis omnibus aut præcipuis, singularitèr verò Pesti resistit, cordi familiare simul ac salutare auxilium, tutelamq; insignem adferens, Citrij pomi nomine ob colorem insignita, cujus cùm diversæ sint facultates, in idem tamen quo ad putredinis abolitionem recidentes, sigillatim complexus est hoc Carmine Poëta.

Medica mala sumus, pelli vis ignea nostra est
Humentis brumæ nec benè cocta caro.

Terreus est humor, sectantur semina pellem,
Flos calet & folium, sic voluere Dij.
Tarda caro est, succus choleram fluxusq; moratur,
Cor tepet hinc ardens, hinc tua membra nitent.
Semina, flos, folium & cortex frigentia mulcent
Corpora, & epurant aera pestiferum.
Sola tamen volumus mandi, sic gratus olescens
Nos bona dic Veneri, non mala, sed medica.

Citria mala P sti adversantur.

Atqui ut à laudibus Citrij pomi non sine joco discedam°, cùm Citria mala, Mala medica vocari soleant, factũ aliquando, ut agyrta quidam iners in scheda cujusdam Medici forsan in officina pharmaceutica legeret, *Recipe car-*

nes

nes Mali Medici, ipse sibi conscius sese vel pila tundendum, aut prælo premendum, aut culcandum, cribrandum ac denique devorandum suspicatus, protinùs è medio sese sustulit, cùm se malum medicum esse sciret, carnesque suas haudquaquam in medicam quasi prædam prostituere vellet; quam historiam Manilius in Epigrammat. sic describit:

Manilij jocus in malum Medicũ.

Curant anhelum Plenus & Chiron senem,
Agyrta plenus, arte Chiron maximus.
Chiron iubet de carne mali medici
Seplasiarium parare pharmacon:
Lecta scheda illicò in pedes se conijcit
Agyrta, se peti ratus medicum malum,

Sic arguit sua quemque conscientia:
Sic ipsa sese prodit ignorantia.

Aqua Cinamomi.

Atque hæc de Citrio pomo, ejusque prout & Limonum succo, quem in Pilulas Marocostinas venenis adversaturum adduximus, præter alias dotes, quibus universo orbi jam dudum celebri encomio innotuit.

Cinnamomũ inter thesauros Imperatorũ.

Ulteriorem in compositionis nostræ examinatione progressum faciẽtes Cinnamomi stillatitiꝰ liquor sese nobis offert, quo Agaricus & Rhabarbarum imbuuntur, qui & ipsemet venena oppugnat, & vi grata odoreq; cordi beneficꝰ existit Cinnamomi in Italia Galeni temporibus magna fuit penuria, adeò ut Cinnamomũ nusquã nisi apud Imperatores reperiretur, qui admirabili custodia illud asservari curabant. Vide Ga-

Galen. 1. de Antidotis sese Cinamomum Trajani, Adriani & Antonini ætate repositum spectasse refert, atq; cùm Imperatori Severo Thericã cõponeret, Cinnamomum Trajani & Adriani tempore lectum ac custoditum in Antidoti structuram absumpsisse cõmemorat, cùm priorem commodũ nec Theriacæ, nec Cinnamomi curam ullam habuisse scribat. Tradit Strabo unà cũ Theophrasto, Galeno, Dioscoride, ac Plinio, Cinnamomum in Arabia nasci; id tamen ea in regione deperijsse prout Balsamum in Iudæa, liquet ex citat. Plin. lib. 12. cap. 19. ubi plurimas Cinnamomi sylvas combustas esse scribit his verbis: *Cinamomi pretia fuêre quondam in libras denariorum mille, sed postea auctum id parte dimidia est, incensis, ut ferunt, sylvis: ira ne bar-* Cinamomi pretium.

I 4 *ba-*

barorum id acciderit, an ob iniquitatem præpotentium, fortè non satis constat.

Aqua Cinamomi Agaricum corrigit.

Utut sit excalfacit aqua Cinnamomi, aperit, incîdit, digerit & roborat, ac flat⁹ discutit; Agarico ori ventriculi nauseam forsan parituro aut stomachū moturo noxam eam demit, nec nō Rhabarbarum majori penetrandi vi imbuit. Corroborat præterea ventriculum, jecur, lienem, cerebrū; animi deliquia aufert, urinam ciet, Cæliacis auxiliatur, nauseam sedat & cibi fastidium abigit: prodest quoque suspiriosis, resolutis, convulsis & comitialibus.

Idcircò Cinnamomum odoris suavitate, saporis jucunditate ac virium ferendarum præstantiâ dotatum, his quoq; Pilulis suam opem confert, Rhabarbaro & Agarico irrotando idoneum, corpori

pori verò ac valetudini humanæ saluberrimum.

Succedit nunc succus Apij, in cujus defectu Petroselini succus substitui commodè potest, cùm plurimi Apium domesticum antiquorum vulgare nostrum Petroselinū esse dicant. Scripsit Anazarbeus, Apium æstuantē stomachum mulcere, mammarum durities ex lacte concreto contractas reprimere, urinas ciere, contra serpentium venena, aut epotam argenti spumam auxiliari, inflationes discutere, ac medicamentis, quæ dolorum levamenta præstant. Theriacis quoq; ac tussis remedijs misceri. Fuerunt qui id capiti officere putarunt, verùm eorum opinio à paucis est recepta; tradunt enim alij id contra temulentiam valere, unde forsan prisci Apio aut Myrto coronati Succus Apij.

Apij vires mēſis accumbere conſueverunt. Notarunt autem Medici Apium valēter aperire ac obſtructionib⁹ apprimè conduaere; jecoritidē, renibus, ſpleni ac ventriculo pituoſo plurimùm conferre, unde

--- --- --- --- quem phlegmata vexant,
Splen, femur aut renes, vel iecur, illud edat.

Apium autem in cibum admittere olim nefas reputabatur, quod (ut Plutarch. meminit) morruorũ ſepulchra Apio coronari ſint ſolita; hinc & feralibus epulis hęc herba dicata erat. Nihilominus tamen victores Apio, more ab Hercule priùs monſtrato, coronatos fuiſſe legimus; nam & Plinius lib. 19. ſic ſcribit: *Honos Apio in Achaia coronare victores ſacri certaminis Nemeæ.* Teſtatur hoc idem Macer in Poëmat. inquiens,

Victores Apio coronati.

Eſt

Est Apium dictum quod apex hanc ferre solebat
Victoris, veterum fieret dum more triumphus.
Ipse sibi talem prior imposuisse coronam
Dicitur Alcides: morem tenuêre sequentes.
Ast alij dictum credunt quod apes vehementer
Illius soleant avidè decerpere flores.

Indidimus autem Apij succum compositioni huic nostræ tantò libentius, quando eum crebriùs Syrupis jecorarijs ac aperientibus injici, nec non Pilularum massis fingendis adhiberi notavimus, prout videre est, si quis Dispensationes medicamẽtorum tam priscis, quàm neotericis consuetas attenderit. Qua de causa succus Apij Aloedario inditus.

Succum Apij sequitur succus Fœni- Succus Fœniculi.

Fœniculi visum acuens, calculos pellens, renes mundificans, stranguriæ renumq; doloribus opem ferens. Herbam hanc serpentes nobilitavere, dum ab ejus gustu senectam exuunt, & obtusam hebetemque oculorum aciem ejus succo reficiunt, unde quoque homines caliginem discutere didicerunt. Fœniculi vires Poëta hoc Carmine complexus est.

Semina si chymo exurunt hortensia duro
Fæniculi, & sicco non benè sana cibo:
Torrida tu timeas sylvestria renibus ingens
Pharmacum & urinæ nobile curriculum.
Durius è lumbis sunt comminuentia saxum,
Sint tumido hæc femori pabula fæmineo.

Fæniculi vires.

Ride

Ride infans, poterit reclusa munera lactis
Si viridi hortense est mox revocare tibi.
Ride infans, molles colubri experientia ocellos,
Servari incolumes hoc tibi posse docet.
Subversum & vento stomachum extendente tumentem
Aequat in antiquis febribus esca potens.
Semine si redaperta vigent membra omnia leta
Gloria radici non minor exhibita est.

Fœniculum igitur pharmaco huic deesse noluimus, cùm odorũ planè sit, stomacho intestinisque gratum, quodque flatus pellat, & fœtentem oris halitum emendet; cumque id inter deobstruentes plantas numeretur, &

ad infarctus viſcerum penetrandos viribus plurimùm polleat.

Succus Abſinthij

Nunc verò ſuccus abſinthij ſeſe nobis offert meritò his Pilulis indendus, ut qui jecori maximoperè benefaciat. Scribit Gal. lib. 6. ſimpl. med. Abſinthium abſtrictoriam, amaram & acrem qualitatem poſſidere, idque calefacere, extergere, roborare & exiccare, nec non bilioſos humores per inferna propellere, ac per urinas evacuare, id verò maximè quidquid bilioſi in venis hæſerit: adeò autem jecori gratum eſt Abſinthium ventriculoq; & venis meſeraicis, ut earundem partium morbos frigidos pleroſq; pellat; Icterum enim abigit, hydropem præcavet, cachexiam emendat, ventriculi inflationes doloresq; tollit, ac quod mirum eſt, diverſos Abſinthium effectus pro diverſa

Abſinthij vires.

versa morborum conditione agit: laxat enim alvum strictam, laxam verò eam stringit ac cohibet, lumbricos & ascarides perimit, nec non alia interanea ex putredine nasci solitą exterminat, vel generationem eorūdem prohibet. Plerasque Absinthij vires hoc metro expressit.

Terribiles perdant siccata Absinthia succos,
His furere in stomachum docta caputq; meum.
Ni tamen hinc noceant, suavi mihi grata tepore
Et stomacho, & tussis provida poplitibus.
Hac reserant iecoris fibras, his renibus amplum est
Curriculum, hinc siccus nec sitibundus hydrops.
Et tinea, & rabidi fugiunt Absinthia vermes,

Absinthij vires metro expressa.

Tu-

Tutari tunicas iam didicere meas.

Dioſcorides Vinum Abſinthium (cui Thraces & Propontidem habitantes tantas vires tribuiſſe leguntur, ut id ſanitatis cauſam eſſe dicerent, eique magnam incolumitatis ſuæ partem adſcribere non ſint veriti) lib. 5. cap. 40. hoc encomio condecorat, inquiens: *Vtile eſt ſtomacho, urinam ciet, tardam concoctionem accelerat; hepaticis, regio morbo & renum vitiis auxiliatur, faſtidia diſcutit, iis prodeſt quibus ſtomachus negotium exhibet, valet contra longam præcordiorum diſtentionem & inflationes, teretesq; ventris tineas, & remoratos menſes: contra Ixiæ venena; quamplurimum potum, & vomitionibus redditum auxiliatur.* Hæc Pedacius Dioſcor. Nec refert amarum eſſe Abſinthium, nam

Vini Abſinthiaci vires ex Dioſcoride.

Dul-

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.

Memorat Cælius in Apolog. in Megalensibus ludis victorē magnum præmium sperasse; ei autem è quadrigis descendenti Absinthiacum poculum à Prætore propinatum fuisse, quod cum victor invitus ac inhorrescēs sumpsisset, subjunxit Prætor: *Disce fortunæ mores victor, quæ suavibus & iucundis solet semper amari quid admiscere.* Sed forsitan sanitas victori per Absinthiacum potum honorificè præmio dabatur. Adversatur enim Absinthium pluribus venenis, utpotè Ixiæ (prout jam notavimus) nec non Cicutæ & muris aranei morsibus, & draconi marino, bibiturq; utilissimè contra fungorum strangulatus, prout Dioscorides lib. 2 3. recenset, quo in loco præterea refert: in- Absinthium venenis resistit.

inſperſum arcis Abſinthium, veſtes ab erodentium injuriá vindicare, culices ex oleo perunctum abigere, & atramentum librarium diluto ejus temperatum literas à murium eroſione tueri, qui idem cap. ſequenti Abſinthij ſeriphij paſtu pecora pingueſcere ſcripſit. Et Theophraſtus lib. 9. cap. 18. de hiſtor. planta. Pontica pecora pinguiora & pulchriora eius pabuli beneficio reddi notavit, & quidem (ut aliqui volunt) ijs in locis felle carere. Unde Emblema apud Camerar.

Pontica pecora fel le carẽtia.

Felle carent Ponti pecudes abſinthia paſta,
Ferre mala aſſuetis non malè ferre ſolet.

Nonnulli Abſinthium Veneri reſiſtere ac carnis libidinem domare, vel reprimere ſunt arbitrati.

Unde

Unde Anthonius Carchesius de vino Absinthite sic scribit:

Qui cupiunt Veneris communia gaudia nosse,
Hoc fugiant, moneo, fœmina virq; merum.

Devitandum proinde horum vel suasu, vel dissuasu hoc Vinum illi,

Quicunq; domina vir cupit esse sua.

De Absinthio mira refert Mizaldus in appendice Cenauriarum memorabilium, his verbis: *Res memorabilis, infantes antequam duodecim hebdomadas excedant, si interea temporis eorum pedes & manus à balneo succo Absinthij inungantur, & fortitèr infricentur, neque frigore, neque æstu, per totam vitam lædi nec molestari possunt. Cæterùm si prædicto modo totum eorum corpus semper à balneo perungatur ac lavetur, neq; scabie, lepra,* — Mizaldi locus de Absinthio.

pra,

pra, Hispanico morbo, nec pediculis, aut similibus incommodis unquam infestari, (nisi Deus eos velit punire) res certe admiratione & notatu digna. Insuper hic succus Absinthij cutem efficit nitidam, venustam, membra habilia & decora, nec sinit membra intumescere deprimendo & arcendo tumores ne emineant, neque ultra modum eleventur, si sæpius eminens tumor obliniatur, impedit quò minus membrum & tumor increscat: secretum dignum observatione, sanat & ulcera. Hæc Mizaldus.

Alioquin Absinthium ægrè in usus infantum traducitur, præsertim si id intra corpus sumendum foret, unde ex Quintiliano Medicos puerulis Absinthium quidem obtulisse, sed conando vix quidquam ut assumerent profecisse colligitur, cum ait,

Nam

Nam veluti pueris Absinthia tetra medentes
Cum dare conantur &c.

Et Martialis lib. 9. Epigr. 75. conqueritur de quodam Hippocrate, qui cum mulsum peteret, Absinthiacum poculum ècontra porrexit, idque ex Absinthio Santonico in Aquitania nato paratum, unde permutationem eam ægrè ferens, inquit,

Santonica medicata dedit mihi pocula virga.
Os hominis mulsum me rogat Hippocrates.
Tam stupidus nunquam, nec tu puto Glauce fuisti,
Chalcea donanti Chrysea qui dederas.

Verùm hæc Absinthij saporem solum, non utilitatem vel energiam concernunt. Observa quæ doctissimus Quercetan. de Pilulis

Pil. Quercetani phlegmagogæ ex Absinthio earũdemque vires.

lis phlegmagogis ex Absinthio paratis refert, ait enim eas cruditatibus ventriculi, ac inde oriundis vel morbis, vel symptomatibus, apoplexiæ, Paralysi, Cephalalgiæ, doloribus, arthridicis, nervorum, pectoris ac niritoriarum partium noxis suppetias ferre. Plurimas vires ac valetudinis cõmoda clarissimus D. D. Bauhinus Basiliensis Professor laudatissimus, in Aloë Absinthite collocat. Unde Georg. Pictoris in Botanologia.

F. Platerus. T. 2. c. 11. Aloe Absinthite.

Constant terribiles Absinthia posse dolores
Pellere citrinos, si bene mansa forent.
Atque iuvant stomachum mira virtute solutum,
Anginam pellunt, fastidiumq́ levant.

Pro-

Proinde Absinthium in cõpositione Pilularum harum minimè prętermittendũ fuit, utpotè ventriculo, jecori, intestinis, ac mesenterio summam opem laturũ, cujus efficaciam, ea quæ hactenus cõmemorata sunt, satis detexisse videntur, nobis interim ad ulteriora transeuntibus.

Nunc autem sese nobis offert succus Cichorij ob insignes ejus plantæ dotes meritò celebrandus, utpotè quàm magi ob eximias utilitates Chreston & Pancration appellaverunt; ardores hęc stomachi restinguit, hepati & renibus prodest, sanguinis fervorem & acrimoniam eius temperat, bilem digerit eandemque educit & mortificat. Unde Poëta. Succus Cichorii.

Frigidis campestris minus est & amarior hepar Cichorij facultates

In-

Intyba demulcens bilis utramque timet.

Ob insignem enim amaritudinē suam meatum choledochum reserat, & valentèr abstergendo alvum nonnihil subducit, cujus amaritudinem taxasse videtur Virgilius in Georgicis, cum ait:

------ & amaris Intyba fibris.

Subsiste igitur Cichorium nostræ intētioni serviturum, & venustatem corpori eam redde, quam tuo usu prisca sæcula sese consecuta esse sunt gloriata.

Succus Pimpinellæ.

Pimpinellæ quoq; succus huic medicamini conficiendo haud immeritò indit⁹ videtur, is enim cruditates concoquit, viscera deopilat, pesti, ac infecti aëris injurijs adversatur calculos comminuit, & abscessibus internis opitulatur. De Pimpinella, quam Pāpi-

pinulam seu Pampinum minutam ob foliorum similitudinem dixêre, sic scribit Poëta:

Vesicæ lapides si Pimpinella remollit
Ignita est, iecori sana lienq; tibi.

Et verò Fumariæ succus suis partibus nullatenùs defuturus, adhuc ad medicamenti constitutionem perficiendam desiderabatur, ea enim herba non modò alvum benignè solvit, verùm etiã viscera roborat distentosque eorum villos contrahit: eius vis nõ modò ad hepar, sed & ad venas diffunditur, unde sanguinem expurgat, & plerisque incommodis ex bile aut exustis humoribus natis medetur. Valet quoq; adversus psoram, lepram, Elephantiasim, lichenas, carcinomata, scabiem & cutis vitia ex sanguinis **Succus Fumariæ.**

K im-

immundi corruptelâ profecta, febres antiquas putridas & viscerum infarctus pendentes finit; Icterum pellit, stomachum & jecur firmat: oculorum delacrymationibus utilis est, & oculis claritatem conciliat. Atqui sic Fumariæ chylus cæterorum succorum (qui ad medicamenti hujus compagem hucusque confluxerunt) seriem, amaro quidem, at salubri obice clausit, suas quoque opes pharmaco incolumitatem præstituro collaturus.

Absoluta nunc succorum ad medicamenti hujus constitutionem confluentium tractatione, reliquum est, ut ad cæterorum liquorum (qui ad prolectandam simplicium prædictorum essentiam requiruntur) facultates tractandas accedamus. Expetitur autem primò stillatitius Lupuli liquor,

liquor, is plantæ, à qua extillatus fuit, vires ac energias continens, sanguinem mundificat, utramq; bilem temperat, febribus ac Ictero commodus est. Unde Poëta, Stillatitius Lupuli liquor.

Si Lupulum oblectant antra & nemorosa salicta,
Hoc facit ingrato sit satis ut Medico.
Frigidus hinc bilem, calidumq; arcere cruorem
Est potis, hunc calida & febris anhela timet.

Dolet Mesue, Medicos rarò Lupulo uti, cùm tamen medicina multarũ ęgritudinum & ad plurimas utilitates præstandas idonea existat, quod etiam taxasse videtur idem Poëta, inquiens:

Gratia si magna est illi, tua noxia maior
Est medice, hoc sanctum qui male noris olus.

Aqua Betonica. Aſt nunc Betonicæ extillatus liquor cõpoſitioni huic ſeſe jungit, omnibus ferè corporis membris familiaris & commodus, à tam nobili plãta prolectus, ut eam Antonius Muſa Auguſti Imperatoris Medicus, integro libro, quem de ea cõſcripſit, decorandam eſſe duxerit. Fuit hæc primitùs (ut ex Plin. lib. 35. cap. 8. liquet) Veteribus Hiſpaniæ populis celebrata, tantis ſanè dotibus à DEO ter opt. max. prædita & aucta, ut Italis laudare aliquem volentibus in proverbium abierit, quando aliquem plus virtutum quàm Betoniam habere dicunt. Dioſcorid. lib. 4. cap. 1.

Betonicæ vires ex Dioſcor. Betonicæ magnam vim contra venena, & illata à ſerpẽte vulnera tribuit, quam ibidem alvum ſubducere, urinam ciere, comitialibus, inſanis, iecinoroſis lienoſisque

que prodesse scripsit; quin etiam eandem acidum ructantibus, stomachicis, ægrè concoquentibus, sanguinem excreantibus, hydropicis, tabidis, purulenta rejectantibus ac vesicæ doloribus obnoxijs rectè propinari docuit. Hanc Antonius Musa jam modò citatus, animas & nocturnas ambulationes à maleficijs & periculis securas reddere, quin etiam sacra loca & busta à visibus metuendis tuta præstare tradidit, eamq; rem omninò sacram esse dixit. Præterea eius decoctũ, prout & herba ipsa veterum & neotericorum testimonio medetur ruptis, ab alto devolutis Ictericis, à rabiosis animalibus demorsis, lippientibus, anhelosis, renum vitia patientibus, Ischiadicis, Quartanarijs, & id genus alijs: fastidia tollit, & viatores itineris tædio fatigatos
 mirè

mirè recreat imò etiam domos, in quibus sata fuerit, à piaculis immunes esse ex veterum scriptis colligimus. Eximias ejus vires Poëta carmine complexus, sic cecinit:

Eximiæ Betonicæ vires à Poëta descriptæ.

Publica Betonicæ qua nulla operosior
herba est
Gloria siccato grata tepore venit.
Cui dolet aut luxum est corpus, cui
vulnera mille,
Cui caput infirmum, cui iecur
invalidum:
Cui stomachus gelidusvé lien, cui
lumina languent,
Quiq; lacessitis dentibus invigilat.
Cui serpens, rabidusvé canis, vel
dira venena
Officiunt, Podagra qui doles
aut Chiragra,

Deni-

Denique cui tumida est vesica & venter obesus,
Cui gelida est febris, cui pituita nocet.
Delectam aprico Geminorum in colle sub ortu
Carpat, & hanc salvus si cupit esse, bibat.

De Betonica itidem sic Georg. Pictorius in Botanologicis.

Betonica immodicum ventris sedare dolorem
Dicitur, à cœna si modò sumpta fuit.
Plinius hanc, inquit, qui secum gesserit herbam,
Illi nec poterunt ulla venena dari.

Boraginis nunc liquor succedit, cujus plantæ flos inter cordiales ab omnibus jam dudum adnumeratus, animi voluptates augere ac hila- Boraginis liquor stillatitius.

hilaritatem adducere creditur, juxta illud Poëtæ:

Si tibi Bugglossa est succi & Borago tepentis,
Lætus eris, siccum nec tibi pectus erit.

Borago Nepẽtes quibusdam.

Sunt inter auctores nonnulli, qui Boraginem Nepenthes illud pharmacum fuisse arbitrantur, quod Helena Telemacho ad curas excutiendas propinavit, de quo Odyss. 4. Ut ut sit, Borago cordi, pectori, pulmonibus, diaphragmati, asperæ arteriæ, ac omnibus circa thoracem sitis, vel in eo contentis partibus admodum familiaris existit. Dioscorid. hanc plantam internis abscessibus utilem esse voluit, & Gal. 7. simpl. med. Buglossum, quod nostra est Borago, vinis injectum lætitiæ ac hilaritatis causam esse quondam credi-

creditum fuisse scripsit. De qua Planta sub nomine Buggloſſæ comprehensa Georg. Pictor. in Botanolog. sic scribit:

Lingua Bovis Graio sermone Buglossa vocatur,
Hæc choleram rubeam pellere certè solet.
Cardiacum choleræ quem fecit copia nigræ
Sublevat hæc miris plantula quippe malis.
Humores nocuos pulmonis detrahit hausta,
Vim memorem firmat perdita temporibus.

Sit igitur & noſtrum hoc pharmacum hilaritatis, voluptatis & lætitiæ parandę medijs inſtructũ, quandoquidem & Crocus in Pilulis his ſubſiſtit, ſpiritus in omnem alacritatem pandens, Boragini ſocius futurus, ut mox infrà

monstrabimus, ubi ad homogenea medicamenti præsens tractanda devenerimus.

Cardui Benedicti aqua stillatitia.

Jam verô Cardui Benedicti gutta stillata nobis obviam facta, suis quoque encomijs sese decorari postulat, ea namque sudores potentèr movet, miasmata, sanguinis inquinaměta, & malignarum febrium fomitem dissipans. Medetur ea Pleuritidi ac costalibus morbis punctarum inferentibus; extravasatum sanguinem, ne is coalescat aut in grumos abeat, prohibet, ac glomeratū jam extra venas cruorem dissolvit. Adversatur itidem putredinis quibuslibet noxis aut malis ab ea contractis, unde febres à viscerū infarctu pĕdentes ac per circuitū cum rigore redeuntes abigit, experimentis rem eam testantibus; venenis resistit ac pesti adversatur,

Cardui Benedicti facultates

renum

renum dolores ac ventris tormina mulcet, Iliacos cruciatus placat, surdastris sonoras aures præbet, alvi tineas perimit; ulceribus, quæ cacoëthe vocantur, opem fert, ac uteri mulieribus vitia corrigit & comitiales juvat. De Carduo hoc Benedicto sic Georg. Pictorius in Botanologia.

Georgius Pictorius in Carmine de Carduo Ben.

Cardinam monstrasse ferunt dianumina plantam,
Sublevet ut raptim corpora fessa lue,
Hæc reparat quoniam prostratum certè calorem,
Vim digestivam nec minus illa juvat.
Et subitò confert illis quos calculus angit,
Provocat urinam, si minus illa fluit.

Liquor Rorismarini.

A Carduo Benedicto ad Libanotidis seu Rorismarini liquorē di-

digredimur, cujus plantam Franciscus Venetus in Harmonia mũdi tom. 7. cap. 27 Hebraicè Ezob. dictam putat, ac vicinitate nominis deceptam posteritatem Hyssopum transtulisse arbitratur, cũ Libanotis (ut ipse vult) in sacris legi debeat, utpotè quem fruticẽ Judææ in fasciculos manuales coactũ conspergendis lustrandisq; hostijs immolatitijs accommodare sint soliti: cui opinioni subscribunt Rabbini in suis Cõmentarijs, & Levinus Lemnius in explicatione sacrarum stirpiũ cap. de Libanotide. Tantis pollet viribus, ut vix ulla ex plantis ei sit æquiparanda, ea enim semper virens, plurimis infirmitatibus adversatur, præcipuè verò morbo Comitiali seu Epileptico, qui dæmoniacus esse perhibetur; itemque Paralysi, Apoplexiæ, Vertigini,

Vires Rosmarini.

ni, Spaſmo, Convulſionibus nervorum, Podagrę, Arthritidi, Ictero, Quartanæ, Lethargo, Dyſenteriæ, Aſthmati; morbis item cerebri, ventriculi ac cordis ferè omnibus, præcipuè verò frigidis. Odor fruticis animum reficit, ac ſpiritus depurat & inſtaurat: uſus quoque Roriſmarini memoriam collapſam erigit, ac caligantibus oculis auxiliatur; collutione ex eo facta dentes firmantur, & exeſæ glutinantur gingivæ, ac facies efficitur nitida: fœda quoq; ulcera ejus decocto abluta malum deponunt morem, & ſanationi magis obediunt. Additur etiam utiliter Libanotis capitis lotionibus, & articulorum fomentis: prodeſt lienoſis, cardiacis, jecineroſis, ſtupidis, veternoſis, reſolutis, & caduco morbo laborantibus; quin & crematus frutex peſtis conta-

gia fugat, atque ædes à vitiosi halitus noxis tutas præstat, etenim venenis Rosmarinus potenter resistit, oris anhelitum commendat, matricis vitia corrigit, alba uteri profluvia cohibet, ac capitis rheumatismos sistit, conceptum adjuvat, sanitatem tuetur, cordis, nervorum, cerebri ac universi corporis vires auget ac fulcit: canos arcet, mortem differt, ac ætatis procrastinationem tribuit. Phlegma salsum & Melancholiã absumens, viscera sarta tecta ad longævam vitam diutissimê conservat. De hoc Poëta:

Dentibus, & gelido capiti, tumidisq́ lacertis,
Et stomacho ignita est rosmarin aptus ope,

Et

Et Georg. Pictorius.

Phtisicis antidotum est vinum de Roremarino, Vinum Rocisma-rinatum.
Confortat visum, cuncta venena fugat.

Penatibus olim coronæ ex Roremarino suspendebantur, unde Horat. in Carm. 3.

Parvos coronantem marino
Rore deos, fragiliq; myrto.

Numeratur enim inter herbas odoratiores, prout videre est apud Ovid. 3. de Arte.

Rosmaris & Laurus nigraq; myrtus olent.

Et 12. Metamorph.

Vt modò rore maris, modò si violavé Rosavé.
Implicet, interdum candentia lilia gestet.

Utut sit, cum Libanotidem hanc plantam à thuris odore nomen

men mutuatam Dioscorides, Galenus, ejusque sectatores omnes ac singuli adeò commendent, eamque ipsa experientia specioso hucusque encomio per lõga jam sæcula ad modernã ætatem provexerit, nostrum quoque Aloëdarium exornaturam meritò ad medicaminis hujus præparationem requisivimus.

Iuę arthetica seu Chamæpithyos à qua extillatę.

Sed & Chamæpithys (quam Iuam Artheticam vocant) Podagricis opem latura medicamento huic accessit, herba articulorũ vitijs dicata, cujus folia septem diebus in vino pota regio morbo mederi, & quadraginta diebus ex hydromelite hausta Ischiados sanare scripsit Dioscor. lib. 3. cap. 157. qui eandem peculiariter urinæ difficultatibus, jecinoris, renum vitijs, ac torminosis prodesse, ejusque decoctum antidoti

dori loca contra Aconitum apud Heracleam Ponticam bibi ibidē tradidit. Revalescũt eius usu paralytici, & emortui fœtus eius potu excluduntur, ac continuata illius exhibitione coxendicum tormenta mansuescunt. Unde liquor hujus plantæ nostro quoque medicamini suas vires tradens, Pilulas has subintravit, Podragricis & artuum dolore vexatis solatio quandoque futurus.

Sequitur nunc aqua Eupatorij, Hepaticis, Ictericis, Lienosis & Cachecticis idonea; febres hæc antiquas & periodicas in malum corporis habitum abituras solvit. Stranguriæ confert, sanguinem depurat; Elephantiasin, Psoram, & Lepram antevertit: insuper & vulneribus ac abcessibus internis opitulatur, ichoresq; in vasis cõtentos temperat, nostras quoque Pilu- **Aqua Eupatorij.**

Pilulas efficaciores reddituram.

Aqua Cētaurij seu febri fuga.

His sese liquoribus sociavit aqua Centaurij, cujus plantam febrifugam, eô quod febres pellat, majores nostri dixêre, quod quidem nomen coloni, qui ejus opem sæpè senserūt, effectu medicaminis edocti adhuc retinendū censuerunt: herba est tantæ amaritudinis, ut eam fel terræ plurimi appellaverint, quomodo eandē nostri quoque Germani Erdtgallen/ ob plurimas autem virtutes Tausendtguldinkraut vocare assolent. Descripsit hanc plantā ob insignes facultates, quas possidet, integro libro Galenus, quem Papiæ dicavit. Dioscorid. lib. 3. cap. 7. eam, si decocta devoretur, bilem, crassosq; humores per alvum exigere, ac jus decocti Ischiadicis convenientissimè infundi, vetera ulcera purgare ac cicatrice clau-

claudere, & ſuccum invellere appoſitum menſes & partus extrahere tradidit. Datur Tertianarijs, & aliter per intermiſſiones febrientibus, quorum paroxyſmos educta bile ſolvit; ventris quoque tineas ac lumbricos necat & expellit, cutis infectiones quaſcunque, utpote Lentigines & Alphos, exterit; lienoſis, jecineroſis, cachecticis ac felle ſuffuſis familiaris planè & idonea.

Hanc Lucanus inter cætera media pellendis ſerpentibus ijſq; à caſtris arcendis, opportunam eſſe innuit, cum ait,

Vltima caſtrorum meditatus circuit ignis,
Hic ebulum ſtridet, peregrinaq́; Galbana ſudant,
Et larix non læta comis, Eoaq́; Coſtus,

E

Et panacea potens, & Thessala Centaurea.
Peucedanum sudat flammis, Ericinaq; Taxus
Et larices, fumoq; gravem serpentibus urunt
Abrotanum, & longe nascentia cornua cervi.

Sic enim mos erat bestias ac venenata alia animalia abigendi. Unde Maro,

Disce & odoratum stabulis accendere Cedrum,
Galbaneoq; agitare graves nidore chelydros.

Cerasorũ liquor stillatitius & ejus vires.

Et nunc tandẽ stillatitia Cerasorũ aqua vitreis organis vi ignis ꝑlecta, vires adhuc potiores medicamẽto huic datura, liquorum agmen finit; quam in compositionem hujus Aloëdarij non sine magna ratione adduximus: quantum enim hæc ipsa in Apoplexia,

Pa-

Paralysi, Epilepsia, ac præcipuis summeque periculosis cerebri morbis possit, vel vulgus novit, quando plurimi attoniti, ac sine voce facti, ejus assumptione sese recolligentes assurgunt, & vocales rursus effecti, loquelam recipiunt, sensibus ablatis aut interceptis in pristinum vigorem restitutis; hæc enim, si artificis inter extillandum accedat industria, spiritualis evadit, & perquam odorata, unde obstructos cerebri meatus levat, ac arteriarum infarctus promptè expedit. Cerasa à Cerasunte oppido Ponti à L. Lucullo devicto Mithridate primitùs in Italiam devecta & allata fuisse, indeq; denominationem sumpsisse Athenæus memorat; facit tamen eorum mentionem Diphilus Siphinius arte medica aliquanto post Hippocra- Cerasa unde dicta.

ætatē clarus coætaneus fermè Lisymacho, qui Alexandro M. successit. Nec refert Fridericum Dietrici Marchionis cognomēto sapientis filium, cùm ex venatione lassus in arcem Hirsenstainianam juxta Albim sitam devenisset, veneno in Cerasis dato Anno 1291. de vita sublatum, prout Fabr. in Annalibus Misnæ urbis refert, nam & venenum (ut ille ait) ex auro bibitur : fit enim ut jucundissimarum rerum cupidine illecti non magis decipiamur, quàm cum in appetitus nocuos præcipiti affectu ferimur, itaque Princeps fructus amœnitate illectus, nihilque de toxico subesse ratus, cerasa affatim ingerens, necem violentam oppetijt. Nostro porrò ævo non tantum Cerasis periculi inest, diligenter enim priusquam manduntur, aqua eis sæpius

pius affusâ elui consueverunt; hoc autem difficultatis Cerasorum comestoribus observatur, quod non nisi ab æqualis sortis hominibus statu ac conditione partibus, sine vel molestia, vel gravamine aliquo vorari queant. Causam hujus rei Metricus quidam eleganter ac perspicuè sic expressit:

Cum domino Cerasum res est mala mandere servum,
Tollit matura, tibi projcit omnia dura:
Consumptis illis cupiet iactare lapillis.


Adagium vulgi de Cerasis carmine expressũ.

Sed hæc de Cerasis, sufficiat nobis Cerasorum liquorem insignibus viribus ad cerebri & cordis noxas arcendas dotatum esse, quem proinde in compositione hu-

Es ist böß mit grossen Herren Kersch essen.

hujus Aloêdarij minimè omittendum censuimus, Capiti huic succorum liquorumque energias ac virtutes sat fusè explicanti, nūc tandem finem imponentes, ad ulteriorem medicaminis examinationem jam modò progressum facturi.





Caput Duodecimum.

DE RATIONE COMPOSITIONIS HUIUS *Aloëdarij, deque proportione ponderum in medicamentis pharmacum hoc constituentibus observata, &c.*

CUM medicamentum hoc & nominationem suam à Maro & Costo sortitum sit, mirabitur fortasse quispiam nominis ab his duobus simplicibus deprompti causam, cùm aliàs unum quodque medicamentum à basi, quæ hoc in loco Aloës **De ratione nominis hujus Aloëdarij**

eſt, ac majore ſui copiâ pharmacum conſtituit, Marum verò & Coſtus longè minori, imò ferè minimo ſui pondere hîc ſubſiſtant, famam non habuiſſe; ſed mirari deſinet, ubi in plurimis veterum compoſitionibus idipſum perſæpè factum obſervaverit, nos autem hunc pharmaco huic titulum, cùm ob horum duorũ ſimplicium raritatem ac excellentiã, tum etiam ad aliorum Aloëticorum differentiam præfecimus, ut à cæteris quæ ex Aloë parari ſolẽt medicinis faciliùs diſcernetur, & prædictorum medicamentorum, Mari nimirum ac Coſti, claritate niteſceret.

Proportio cæterorũ medicamentorũ in reſpectu Aloes. Eſt autem Pilularũ harum primaria nihilominus baſis Aloë, cujus uncias tres adſcripſimus, in ſingulas uncias ſcrupulum unum Mari, tantundemq; Croci, Agarici

ci verò, Costi & Myrrhæ singulorum drachmam dimidiam adjũgentes. Nunc autem Aloës uncia quælibet drachmã Ammoniacæ guttæ capit, Rhabarbari verò drachmas binas, Agallochi quoque scrupulum dimidium, atque sic compositio trinâ semper observatione assurgit; insunt enim eidem tres Aloës unciæ, tres scrupuli Mari totidemque Croci, tres dimidię drachmæ Agarici, itemq; Costi, actantũdem Myrrhæ, tres porrò drachmæ Ammoniaci, & duplicato pondere ter binæ Rhabarbari drachmæ insuperque tres dimidij Agallochi scrupuli, ex quibus medicamentum constituitur, ac numero sic trino semper subsistit, etenim ingredientium novem sunt numero, quę terno numero ter repetito respondent. Cùm itaq; omnia numero,

In Aloedario hoc trinus sempernumerus absq; tamen superstitione, sed nõ sine artificio observatur.

 pon-

pondere aut mensurâ constare Philosophus dicat, decorum esse duximus non sine certa quadam proportione quælibet absq; ponderis censura indiscriminatim congerere, & in massam quasi informem compaginare, sed numeri ac ponderis observatione pharmacum astruere, numero ipsi non Pythagoricorũ more quidquam per se tribuentes, sed dosis proportionatæ rationẽ inde depromentes, ut tot sint Mari scrupuli quot Aloës unciæ, itemque tot Ammoniaci drachmæ quot Aloës unciæ, ac sic de cæteris: sic enim formosa assurgit compositio, quæ ordine suo contexta in communem usum cedere possit.

Numero ac pondere medicamentorum Aloëdarium hoc cõstituentium sic sese habente, facilè ex ijs, quæ in præcedentibus

Capi-

Capitibus fusè satis de singulis dicta sunt, colligere est, quænam energia ex combinatione eorundem resultet; licèt enim omnia in universi corporis subsidium ac conservationem simul conspirent, habet tamen unaquæque corporis pars peculiare quidpiam in sui commodum ac tutelam directum: hinc Marum cerebro ac capiti deseruit, cordi & spiritibus vitalibus Crocus, prout Agallochum animalibus; Costus debetur ventriculo & intestinis, Rhabarbarum jecori ac renibus, Agaricus pulmoni ac utero, Ammoniacum lieni & diaphragmati; Aloë succos ac humores depurat & conservat, Myrrha verò solidas partes fulcit, opus enim fuerat, ut (cùm Hippocrates corpus nostrũ continentium cõtentorum & impetum facientium, hoc est, parti-

Singulorũ simpliciũ in Aloëdario hoc contẽtorũ ad præcipuas corporis partes dispositio analoga.

um solidarum, humorum ac spirituum ambitu contineri scripserit) quodlibet horum peculiari ac sibi appropriato medicamine fulciretur; unde spiritus servat, depurat, & augent Crocus & Agallochum; humoribus à putredine ac corruptelâ vindicandis Rhabarbarum, Agaricus & Aloë deserviunt, partibus verò solidis Myrrha (ut diximus) prout visceribus alijs Marum, Costus & Ammoniacum auxilio est, ut sic universa totius corporis œconomia, omnesque ejus partes à noxis ingruentibus tutatæ ac in securam præcautionem munitæ existant.

Sed & aliud adhuc superest notatu dignissimum, inter novem hæc simplicia seu (ut vocant) ingredie̅tia, ex quibus Aloëdarium hoc componitur, nullum esse u-

nius

nius generis,sed ex diversis classibus singula prodiisse Marum enim herba est,costus aroma,Crocus flos, Myrrha lacryma, Ammoniacum gummi, Rhabarbarũ radix, Aloë succus, Agaricus fungus, Agallochum lignum. Itaque ex omni ferè censu vegetabilium medicina excellentissima quæq; collegit, quæ in compositionem hujus pharmaci cõferret, si enim inter ligna quæ in medicũ usum cooptantur, optimum quæris? Agallochum(quod & lignum paradisi vocari consuevit) reperies; sin lacrymam expetis,quæ quæso Myrrhâ præstantior? Aroma desideras? Costum habes legitimũ, omnium ferè aromatum saporẽ, odorem ac vires habẽtem. Quod si de flore circumspicis? nullus Crocum superabit; nec Marum inter herbas postrema erit plantula.

Novẽ medicamina Aloedariũ hoc constituẽtia, è novem diversis classibus petita.

tula quantumvis pumila, virtute tamen cæterarum herbarum vix ulli cedens. Sic inter radices Rhabarbarum primas tenet, prout Aloë inter ſuccos; nec verò inter gummata, quæ intra corpus aſſumi cõſueverunt, infimam ſedem tenebit, imò ſupremam occupabit Ammoniacum; & ipſe quidẽ Agaricus fungorũ quaſi rex quidam, ſeſe nullatenus à ſui generis aſſeclis ſuperari ac poſthaberi permittet, ita ut nulli loco ſit ceſſurus.

Hæc itaque eſt Aloëdarij hujus Marocoſtini pręparatio, his limitibus circumſcripta, & in hanc formam effigiata, quam ſi candidè penſitaveris, non artificioſam modò compoſitionis rationẽ, ſed & uſus emolumẽto utilem planè futuram comperies, nec conſideratione aut contemplatione carens

rens


rens medicamentum habebis, si ea quæ hoc capite indigitavimus, ritè perpenderis. Etenim nobilissima hæc DODRA ex novem simplicibus ad sui constitutionē requisitis ter trino tam præstantium pharmacorū numero subsistit, trina quoque ac mutua eorundem inter se combinatione astructa. Nec miretur quispiam nos Aloëdario huic Dodrę nomē accommodasse, est enim id pervetustum vocabulum à Dodrante novem uncijs constante, cui ad conficiēdum assem quadrans deesset, profectum, eratque Dodra priscis potionis quædam species, quæ ex novem rebus componebatur. Constabat enim jure, aqua, vino, sale, oleo, pane, melle, pipere & herba, qua de re vide Ausonium.

DODRA.

Dodra à Dodrante dicta ex novē rebus prout Aloedarium ex novem simplicibus olim cōponebatur.

Ne igitur sine ratione vel pon-

deris, vel numeri hæc ipſa cōfluxiſſe exiſtimes, ſunt ea hac acie inſtructa & in debellandos atrociſſimos morbos, ac mortē diutius profligandam, vel à finibus ſanitatis longiùs arcendam adducta, quæ quidem partibus ſuis ut cuncta, ſic ſingula quoque ſatisfactura deprehendes, adjuvante præſertim Domino Deo, auxiliorùm omnium præſide, ex cujus theſauris hæc ipſa donaria in emolumentum generis humani profluxiſſe meritò, cum gratiarum actione (ſi non condigna, ſaltem pro tenuitatis noſtræ modulo, impari) fidelitèr agnoſcimus, cui honor, virtus & gratiarum actio in infinita ſæculorum ſæcula.



CAPUT XIII.

DE VIRIBUS Aloëdarij Marocostini, dequé ejus variis dotibus facultatibusqué, ac quibus id commodè exhiberi vel possit, vel debeat.

LAboris nostri, seu potiùs favoris exindè profecti rationē reddituri, privata commoda publicæ utilitati postponenda censuimus, cum præsertim id studiū præ cæteris suscipiendum suaserit Lucilius, quod laudem simul ferret, simulq; fructum post se re-

linqueret. Itaque priſcorum Medicorum, eorundemq; celeberrimorũ veſtigia ſecuti, ſi non aſſecuti ſumus, quod optavimus, ſecutos tamen nos eſſe videbis, docte lector, quos ſectari nos decuit & hucuſq; conſectari expedivit, quæ lubentèr cæterorum judicijs cenſenda relinquimus, qui ſi nos in tanta Medicæ materiæ amplitudine, ſub difficili judicio aliquantiſper in aſtruendo hoc Aloëdario hallucinatos obſervaverint, noſtræ id tenuitati ut adſcribant, rogantes; vagi ſunt enim hominum fines, & mortalium ſemitæ diverſæ, quorum erroribus tantò magis condolendum, quantò magis quiſque & doceri, & moneri paratus eſt. Decuit autem, imò honeſtatis ratio urſit, atq; hoc à nobis extorſit, ut in ijs perſeveraremus, in quibus jam diu

diu exercitati nonnihil consenescere incepimus, pulchrè hos ex ævo discedere arbitrati, qui (ut cuncti censent) alios probos, doctos, ac solertes, si non assequuntur, saltem consequi nituntur, Proinde Medicamẽtum hoc polychreston in Reip. usum ac utilitatem luci dandum esse meritò rati sumus, ut quæ nos priorum inventis addidimus, posteri nostris his laboribus, si ut excolantur digni visi fuerint, sua quoque studia subjungentes amplificent.

De viribus autem hujus Aloëdarij ejusdemq; virtutibus verba facturi, præsupponere ac reassumere oportet ea, quæ in præcedẽtibus Capitibus, cum simplicia ad pharmaci hujus structuram requisita examinaremus, tradita sunt, ex ijs enim facilè erit vel Tyroni Medico colligere, quasnam

dotes medicamentum ex confluxu tam selectorum simpliciũ sit sortitum, eoq; magis si rationem ac modum hoc ipsum parandi diligenter perpenderit.

Aloedarium hoc temporarum est.

Cum autem à primis qualitatibus meritò sit inchoandum, Aloedarium hocce moderatè calefacere & desiccare dicimus, adeò ut nulla exindè supercalefactio præsertim in his oris haud adeò fervidis, sed ad Septentrionem declinantibus sit metuẽda. Quod si pragmatici ferè omnes tam crebri sunt, vel liberi aut liberales in exhibenda Hiera picra Galeni, quomodo Aloedarij huj' calorificam vim formidare queat, non video? ea enim ex meris constat calefacientibus, quorum tamen vis nullatenùs per aliquorum frigidorum admixtionem repressa per-

persistit, ita ut ne Aloe quidem lota, aut Rosaceo succo perfusa, vel aliter temperata, sed penitùs non lota in Hieræ compositionem assumatur, cui cætera calida, utpotè Cinnamomum, Asarum, Spica, Crocus, Xylobalsamum & Mastix junguntur. Unde si Aloedarium Marocostinũ exanimes, vix ulla calidiora his ipsis es reperturus, Marum enim Spicam æquat, Costus Cinnamomo æquiparatur, nec Rhabarbarum quod Pilulas Marocostinus ingreditur, Asaro calidus est; Aloë, Crocus, & Xylobalsamum eadem sunt cum his quæ Aloedarium nostrũ subintrant, Ammoniacum licèt quidem calidius sit ipsa Mastiche, attamen excessu quodam gravi haudquaquam est adeò fervidũ, ut non admixtione frigidorum ad

Hiera picra calidior aut æquè calida, quã medicamentum Marocostinum.

Pil. Marocostinar. cum Alæphanginis comparatio.

ad moderatam temperiem reduci possit. Idem de Hiera Lamponis Pelusiotæ (ex qua Pilulæ Alæphanginæ quibusdam recto Medicorum suasu, quotidiano ferè usu familiares factæ originē traxisse videntur) sentiendum, in quę multo plura calefacientia præter aliqua eorum, quæ Hieram Galeni constituunt recipiunt & Calamum nempe Aromaticum, Nucem moschatam, Macem, Cardamomum, Caryophyllos, Squinantum, Carpobalsamum, & similia, nullorum frigidorum (exceptis Rosis) accessione temperata, cujus tamen medicamenti utilis semper usus ac tutus vix ullum calore aliquo succendisse observatum fuit, licet crebri creberrimè ijs Pilulis, si tamen citra febrem positi sint, utantur.

Tu,

Tu nunc candide Lector observa, pensa, trutina, examina ac judica, utrũ in Aloedario Marocostino singula calida non sint refrigerantibus tantispèr temperata, ut quibuslibet quarumcunque complexionem conditionibus, paucis (quæ infra dicentur) exceptis, exhiberi tutò possint, ac cum securitate præstari queant. Etenim Ammoniacũ aceto Scillitico, Myrrha verò aceto Rutaceo omnium primò diluitur, & licèt hi liquores infusorũ sibi simplicium naturam induisse meritò sint credendi, eos tamen ab incidentis, attenuantis, penetrantis, & refrigerantis aceti natura penitùs discessisse vel desciviſſe minimè credendum, cum præsertim acetum diversarum sit partium, de cujus qualitatibus alio loco disserendum erit: utpotè quod

arctat

arctat & ſimul penetrat, cohibet & expellit, retrahit & ſudores movet, laxat & aſtringit, prout diverſa ac varia occaſionis aut ſubjecti conditio obtigerit.

Frigida calidorũ fervorem temperãtia.

Nunc verò Aloë in Mucharo Roſarum & ſucco Limonum diluitur, quo artificio Aloë jam dicta ſic temperata compoſitionẽ ingreditur, ut ſupra Aloës Roſatæ apparatum correcta meritò videri debeat. Si Rhabarbarum exquiris? infunditur id leviter priùs aquâ Cinnamomi, ne obſtructiones pariat, irroratum, in ſucco Cichorij ac Fumariæ, Coſtus verò, Crocus & lignum Aloës una cum Maro in aq: Roſarũ odoratiſſima, & ſucco Citri priùs diſtemperantur ac madefiunt antequam pharmaco indantur. Vide nunc, utrũ medicamen hoc non tam ex frigidis, quàm calidis ſimplicibus com-

compoſitum exiſtat? Quis igitur Aloëdarij hujus fervorē metuat aut formidet, cùm id vel Galeni Hierá artis ope tēperati⁹ evaſerit?

Valet autem Medicamentum hoc ad omnia ac univerſi corporis humani damna & noxas à putrefactione depēdentes, vel à putredine & humorū corruptione oriri ſolitas., ut exindè mortale hoc noſtrum & caducum animæ immortalis habitaculum, ex ejus uſu crebriore ad immortalitatem quaſi quandam, qualis vel quanta in hoc ſæculo obtineri, vel præſtari poteſt, aſpirare queat, quomodo Ruffus & Avicenna corpora ab interitu & ægritudinibus, p̄cipuè verò ab Epidemicis morbis ipſaq; peſte diuti⁹ tutati ſunt. Præcavebit igitur Aloëdarium hoc febres putridas, periculoſas, peſtilentes petechialesque, itemque

Medicamentum Marocoſtinum ab interitu & corruptione præſervat.

que

que prolixas alias quotidianas, continuas, antequam in paroxysmos exarserint, exceptâ causonide, ac ardentibus alijs à nuda ferè qualitate ab Ephemeris vel biliosi humoris, aut exusti alicujus succi in visceribus fervescētis æstuatione diductis, aut in Hecticas degenerantibus; his enim Aloëtica, imò & Scammoniata vel Diagrydiata (quibus tamen plurimi audactèr, sed præter rationē quandoque utuntur) tuta non sunt. Unde ne nos quidem acutè febrientibus Aloëdarij hujus securum usum præstamus, prout & crasib⁹ valdè siccis ac biliosis sub aurâ potissimùm calidiore degentibus idipsum dissuademus.

Aloedariū Marocostinū morbos plurimos antevertit.

Præstat autem maximoperè Medicamentum hoc prophylactica ratiōe morbos fermè quosvis præcavendo, undè catharros fri-

frigidiorę vel causâ, vel materiâ constantes, aut ex consimili intemperie oriundos cùm desiccat, tū verò derivatione facta educit, imò hos ipsos temperat, & cōcoquit fomitem eorum subtrahens, hinc defluxionib⁹ ad oculos, aures, fauces, asperam arteriam, columellā, pectus & pulmones decidiuis opitulatur. Conducit proindè asthmati & Orthopnœæ, ac recta cervice spirantes adjuvat, phlegma pulmonibus illisum incîdit, attenuat, resolvit & expurgat, gravem anhelitum expedit, ac raucas vociferationes crassæ pituitæ transitu factas demulcet. Purgat & œsophagum crudis humoribus repletum, & cardiaco morbo ab ore vētriculi depēdenti medetur, coctionem porrò ipsam firmat ac fulcit, eamq; perfectam præstat, & consummatam

edit,

edit, ciborum in ventriculo corruptionem prohibens.

Aloedarium Marocostinum Septētrionalibus populis apprimè conducit.

Eſt autem eum in finem excogitatum hoc Aloëdarium, ut gentibus ad Septentrionem præcipuè ſitis multo perſæpè cibo ac potu quoque copioſo, ne dicam ſuperfluo, ſeſe onerantibus conduceret, ea enim eſt medicaminis intentio, ne cumulatæ cruditates morbos pariant, ac ventrem ab oppreſſu humorum ſupervacaneorum vindicent.

Codicis autem apprimè prodeſt, ac ſtrictam reſolvit alvum, unà cum communi excretione noxios quoque ſuccos, eosque ſuperfluos extergens, ac tractum inteſtinorum emundans. Quinetiam renum calculos atterit & ſabulum eorum eluit, mucores in ijs contentos, & in ſaxeam coaleſcētiam abituros diffringens & eli-

elides. Cui coctio vẽtriculi infirma est, cui ruct⁹ acidi molestiã ferunt, si cui fastidium cibi extra calida causã obrepit, aut cui stomachus tumet, aut cui anima fœtens oris graveolentiã invehit, vel hypochondria tensa difficultatem pariunt, hoc ad remedium confugiat. In venis meseraicis nulla per sistet obstructio, non infestabit Icterus aut Scirrhus quisquam lienis vel hepatis; exulabit cachexia, & malus corporis habitus in meliorem statum reponetur. Podagræ verò fomes indies ejus usu subtrahitur, & Arthritidis causæ succiduntur. Quod si cæphalicæ quædam noxæ à stomacho prodeũtes periculum minantur, medicamẽtum hoc opitulatur, Vertigini nempè, Scotomiæ, aurium tinnitui, Epilepsiæ, Convulsionibus, Tetano, Apoplexiæ, Paralysi, ocu-

Aloedarij Marocostini vires peculiares.

oculorum obfuscationibus & similibus, quos omnes affectus lenit, ac tandem continuato usu abolet, tantùm semper virium reponens, quantùm infirmitatis detraxit.

Aloedarium vermes necat

Et verò medicamentum hoc eximias ac celebres in interaneorũ animalibus necandis & eijciendis vires sortitum, Lumbricos, Ascarides, vermes ac ventris tineas ex putridis humoribus nasci solitas illicò perimit, earundem fomitẽ, seu putrem pituitam cum adustâ persæpè aut vitellinâ bile pmixtam, ex qua generari, vel in ea stabulari cõsueverunt, simul evacuans. Prodest præterea Ischiadicis ac coxendicum dolore vexatis, & quibus femora torpent, & genua à nervorũ nimiâ humiditate luxatorum infirmitate vacillant. Opitulatur etiam vesicæ perfrige-

ratæ

ratæ, aut quæ mucositates imbibit, aut phlegmate oppleta satiscit. Utero autẽ frigido & humido apprimè benè facit, fœdam ejus illuviem expurgans, undè mulierum ducit lochia, & albos mẽses seu matricis rheumatismum abolet, obstructiones & flatus ijs in locis contentos, ac suffocationes exindè prodeuntes aufert, nec non partium illarum vires & firmamenta reponit.

Dicendum nunc autem docendumque, quibus in casibus vitari hoc Aloëdarium debeat, ne Empirico quodam modo in ejus laude versati fuisse, & ad omnes omninò affectus promiscuè id commendasse ac extulisse videamur. Vitare autem jubemus hoc pharmacum omnes gravidas, ijs enim tutum id nõ est, prout nec ijs qui Dysenteriâ ac Diarrhœâ aliquâ a- Quibus in casibus ab Aloedario hoc abstinendum.

M cri

cri aut biliosa, vel hæmorrhoidibus nimiùm præsertim fluctibus tentati jam ante partes eas, per quas his fluxionibus transitus est, offensas habent, hoc ipsum commodat, imò noxam adauget. Nec verò hæmorrhagijs quibuscunq; à quacunque causa aut loco profectis confert. Crocus enim cum humores fundat, sanguinem magis fluidum reddit, undè cruentis manationibus nullatenus adhibendus, vel exhibendus. Nocet quoque Plouriticis, Phthisicis, acutè febrientibus, Hecticis, emaciatis, ac consumptis, verùm Febres stomachales ex intermissione redeuntes à pituitâ præsertim putri subortæ ejus usum ferunt. Cavendum tamen ab hoc medicamine in quibuscunque viscerum inflãmationibus, & si quod ex vomica aut Apostemate partis alicujus no-

Aloë dari-um viscerum inflammationibus adversum

nobilioribus ulcerosum est, ejus exhibitio prætermittenda, sicut etiam mulieres abundè mẽstruatæ ab ejus usu arcendæ. His & cõsimilibus casibus exceptis, cæteroquin tuta erit ejus usurpatio, nam & bimuli ferè infantes, ipsiq; senes decrepiti Pilulis securè sua pro conditione uti queunt. Aloë unà cum cæteris comitantibus adeò correcta, ut nullam unquam corpori noxam invehere, plurimum autem emolumenti utilitatisque eidem præstare valeat: qua de causa audacter ac fidentèr hujus medicamenti extra casus supradictos assumptionem quilibet inire poterit, quod ut sapiat & cõducat optamus; cùm autem id ob amaritudinem gustui sapidum futurum sperari non possit, ut quod sapor negat, utilitas secutura restituat ac reponat precamur.

Caput XIV.

DE DOSI ET VSV *huius Aloëdarij Maroco-stini, &c.*

MEdicamentorum quorumlibet effectũ non in vi ſola ipſius pharmaci, ſed potiùs in dextro eius uſu cõſiſtere cuncti Medicinam facientes norunt, cùm Herophilus medicamenta manus Deorum eſſe, ſi rectè adhibeantur, & nihil eſſe, ſi ſiniſtrè uſurpentur, dudum ſcripſerit. In Aloëdarij autem hujus vel aſſumptione, vel exhibitione, tametſi nulla ſingularis cura aut cautio ſit ad-

adhibenda, utpotè quod securum magisq; ad corporis conservationem, ac sanitatis tutelam humorumq; depurationẽ, quàm ad succorum expurgationem, aut eorũdem commotionem ac eductionem sit institutum medicamentum, observatu tamen dignum est, corpora humana, licèt specie eadem existant, individui tamen ratione longè à se invicem distare ac differre. Necessarium proindè

Quidnam & cur, cui, Quoties, ubi & quo tempore, Quantum & quo modo præter cæteras extrinsecas & concomitantes circumstantias cuiquam exhibeas diligentèr perpendere.

QUIDNAM per medicamentum hoc, & CUR idipsum exhibea-

beatur, totus libellus hucusque fusè satis explicavit, Aloëdarium nimirum Marocostinum seu medicamentum ex Aloë, Maro, & Costo, quæ basis vicem gerunt, confectum, ac singulari artificio ideò astructum & constitutum, ut id corpora nostra in fatalem ac perennem nascendi pereundique gyrum abeuntia, ab interitu, corruptelâ, aut putredine vindicaret, ideoque morbos qui vel à cruditatibus, aut succorum corruptione vel putrescētiâ nasci ut plurimum consueverunt, præcaveret, sicq; vitam nostram ægritudines quàm plurimas præcavendo in longam diem optata incolumitate perfusam differret.

Cui verò pharmacum vel hoc, vel aliud porrigas, adverte; aliud enim est seni, aliud juveni, aliud obeso, aliud gracili, aliud crudo, aliud

aliud firmam coctionem & perfectam edēti, aliud valido ac forti, aliud imbecilliori medicamentum obtulisse. Admonitus autem per ea, quæ Cap. præcedenti attigimus, abstinebis ab hoc Aloëdario in gravidis, acutè febriētibus, internos abſceſſus patientibus, Dyſenteria, Diarrhœa biliosa, aut fluxu aliquo liquefactivo vel ſyntectico tētatis, prout & in Hecticis, Phthiſicis, aut alitèr emaciatis, vel à longo morbo consūptis, ſicut etiam in hęmorrhoidib⁹ nimiùm fluentibus, aut menſibus largiùs quàm par eſt prodeuntibus, prout & in omni hęmorrhagia, quæ ex ſanguinis vel copia, vel acrimonia originem duxit, ab ejus uſu cavebis. Dabis id cætero-quin ſecurè tam juveni, quàm ſeni, tam viro, quàm fęminæ, tam adulto, quàm jam dum adoleſcenti,

Aloedarium medicamentū ſecurum.

ti, habita semper victus consueti, conditionis, status morborum prægressorum, si qui præcesserint, ætatis, complexionis seu temperamenti, ac virium ratione, ubiquoque, in quos morbos corpus hoc vel illud pronum sit, curiosè simul ac studiosè pquires & notabis, ut ex hac occasione medicamentū huic vel illi parti accommodare & analogū reddere queas, prout sequenti Cap. tradituri sumus. Sic etiam pensabis, pro temperamenti cujusq; personæ qualitate, ac gradu, vel frigoris, vel caloris, Aloëdarium, quod alioquin ferè temperatum est, modò cùm calidioribus exhibendum, id quod te sequens instructio paradigmatis loco posita docebit, gracili & macilento minùs quàm crasso & obeso de hoc porrigendo, desiccat enim & medicamen-

tum,

tum, & vegetis corporis succorum superfluam copiam congregantibus aut possidentibus, magis quàm gracilibus & ex succis conducit, prout & frigidioribus magis quàm calidioribus, ac ętate provectis magis quàm vel senib⁹, vel juvenibus convenit, licèt tutũ alioquin omnibus naturis ac ætatibus (exceptis casibus suprà cõmemoratis) medicamen existat.

QUOTIES id autem præbeas attẽde, multis enim semel in hebdomade pharmacum hoc sufficit; quibusdam bis id usurpare accommodat⁹; sunt quotidiano ferè usui ejus, aut consimilis medicamenti, minori tamẽn dosi assumpti jam dudum assueverint⁹, securam enim planè & innoxiam operationem edit, coctionem firmando, humores à putredine tutando, ventriculum confortan-

do,alvum apertam & lubricam, seu reclusam tenendo, flatus carminando & discutiendo,nec ullā succorum superfluorum saburram, corpori noxam, gravamen, ac periculum laturam (cujus aggregationem coacervationemq; sæpius assumptum elidit) circa viscera tolerādo, quorum aggregatio crebro Aloëdarij hujus usu præcisa, fomitem cæteris morbis periculosioribus præstare postmodùm nequit, quæ alioquin lethalibus persæpè futuris affectibus copiam subministrasset. Sub infecti porrò aëris statu ac Pestis grassantis calamitatibus quotidie ex Aloëdario hoc partem aliquam sumendam suademus, nam & Ruffus medicaminis sui (à quo hoc ipsum deductum ac derivatum est) ex Aloë, Ammoniaco & Myrrha parati quotidianam sum-

ſumptionem fabæ magnitudine commendavit, de qua ita ſcripſiſſe legitur: *Haud ſcio an ſit quis, qui ex hoc potu non à Peſte immunis ac ſuperior evaſerit.*

UBI ET QUO TEMPORE pharmacum hoc porrigendum ſit, tu quoque conſidera, parciùs enim in locis calidioribus utpotè Italia & Hiſpania, ac rariùs eo utendum, niſi fructuum aut olerum alioquin humidorũ copioſius paſtus noxam aut cruditatem invexerit, aut æger ipſe ſui natura ſit pituitoſior. Miraberis autẽ fortaſsè nos tam ſtudioſè de medicamento propè ad mediocrem craſim accedente eſſe ſollicitos, cum nonnulli illarum orarum ac ditionum Medici, multò calidioribus ſiccioribusque, utpotè Diagrydiatis, Scammoniatis, Turbethicis imò & Colocynthiacis ac Hel-

Diagrydiata calidiora ſunt quàm Aloedariũ Marocoſtinum.

Helleboratis medicamentis uti non vereantur, ut sine ferè conscientia quandoque medica, paulò liberius in eorum exhibitione versari audeāt,ac ea audactèr porrigere sint hactenus observati. Cum autem circumspectum Medicum deceat omnia ac singula examinare & ad trutinam seu æquilibrium reducere, modestiæ nostræ fuerit medicamentū hoc, quod magnatibus & Principibus hucusque placuit,aliquo indebiti vel irriti usus cōtaminatione diffamare,in cujus ope ac salutari effectu annuēte Domino Deo cum Generosi & illustres,tum etiam vulgares & plebei magna admiratione parto sibi auxilio substitêre.

In nostris porrò regionibus, in quibus edax bibacitas, & bibula regnat voracitas sub aura vel tempera-

peratiore, vel ad frigidum plus magis aſpirante, ſecurus, opportunus imò & neceſſarius eſt vel hujus, vel conſimilis medicamẽti uſus, quod quidem etſi cum Aloedario noſtro idem non ſit, viribus tamẽ & facultate huic æquipollere valeat. Conducit porrò plurimùm Aloëdarium iſtud gẽtibus ad Septentrionem declinãtibus, Thuringis nimirũ, Miſnenſibus, Saxonibus, weſtphalis, Belgis, Haſſiam, Pommeraniam ac Brandeburgicos tractus habitantibus, itémq; Danis, Scotis & ſimilibus gẽtibus, quæ multo ſæpè cervisiæ potu (quo quotidiè frugaliter ac pro diæta ſibi cõſueta utuntur) ſeſe onerant, ac pingui ferinâ, aut ſuillâ ventrem ſaginant, his enim ne obſtructiones viſcerum graves incurrant, crudam tenuemq; materiam ex præman-

Gentes huic Aloedario aptæ.

manſo cibo, vel aſſumpto craſſo cereviſię potu ſingulâ aſſumptione Aloëdariũ hoc aut ſubtrahit, aut exiccat, vel emendat, ad minimum verò ne id, quod in plicis ventriculi ex his hæſit, in corruptelam abeat, præcavet. Convenit autem Aloëdario hoc hyeme crebriùs & largiùs quàm æſtate frui, nam licèt Hippoc. ventres hyeme ac vere natura calidiſſimos eſſe dixerit, ut proindè firmiorem coctionem, fæliciorẽ cibi cõfectionẽ edere poſſe ſint credendi, quia tamẽ liquores æſtate fuſi faciliùs incaleſcunt, in id quoque Medici ac Medicinæ intentio & animadverſio planè dirigẽda, quantumvis commodè quolibet anni tẽpore hoc Aloëdario (verùm uno quàm altero fæliciùs) uti queas.

Doſis Medicamẽti Marocoſtini.

QUANTUM porrò Aloëdarij hujus pro vice ſeu Doſi vnâ exhiberi

beri vel possit, vel debeat, statuere difficile omninò est ac dubium cum pro diversitate personarum affectus seu morbi & viriū Dosis sit varianda. Quoniam verò medicamentum hoc securum, nullis expresse purgationibus destinatum, sed primis solummodo vijs extergendis ac levādis earum obstructionibus accommodatum, absque periculo ingeritur, ideò si quis duplam ejus dosin devoraverit, nihil inde metus verēdum. Nobis enim praxin multifariam faciētibus observare licuit, unam ex hoc Aloëdario pilulam, eamq; solam duo tantummodò grana ponderantem (siquidem medicamentum ex arte paratum fuerit) in una eademq; persona tantundem effecisse, quantum dimidiū scrupulus, qui communis ferme dosis esse solet, aliàs præstaverat.

Nota-

Notatum etiam à nobis persæpe, imò compertum fuit, Aloëdarium hoc pro conditione victus ac subjecti dispositione modò plùs, modò minùs permovere, imò sępissimè ne alvum quidem vel parumpèr tentare, imò exactis quãdoque propemodum quadraginta priùs horis nonnihil abstergẽdo intestina proluere. Quod si sæpiùs assumptum nihil omninò in fæcum eductione præstiterit, nihil refert, non enim (ut sæpè jam monuimus) purgando corpori, sed eo conservando ac Balsami modò condiendo est institutum, quod si quid fæcum eduxerit, tantò melius.

Dexteritas hoc medicamento utendi.

Ut autem quilibet nostram hîc synceritatem experiri queat, quotiescunq; solemnitèr nos Aloëdario hoc uti voluerimus, porreximus primò dimidium pharmaci

huius

hujus scrupulum horâ una cœna præeunte, quæ dosis si in crastinũ nihil operata fuisset, aliam mox summo manè dosin, verùm minorẽ submisimus, quod si nec sic quidem purgatio successisset, tertiam & quartâ mox superaddidimus, horis forsitan sex vel septem interpositis, nunc quinque, nunc tres, nunc duas solummodò Pilulas subjungentes, donec clavo clavum trudente alvus solveretur, quæ postea ad cujuslibet ægri libitum aut cohiberi. citiùs, aut extimulata largiùs (deglutita mox rursus pilula unâ atque alterâ) sistebatur, aut laxa permanere poterat: qua in re medicamentum sit familiare ac domesticum, quemvis sui ipsiusmet arbitrum statuimus, ut quid, quantùmve pharmacũ hoc in ꝓprio corpore agat; observet & animadvertat, ac pro

pro re nata agat, cum securè eo quotidie, minori tamen dosi (utpote ad grana 3.4.5.) magno valetudinis emolumento, & absque vel cura, vel victus observantia uti liceat.

Communiter autem scrupulum dimidium pro vice una, horula unica ante cœnam porrigentes, fœliciorem ejus quàm si manè sumeretur, operationem experti sumus: cui si stimulum majorem addere volueris, sequenti mane duas, vel tres Pilulas rursus deglutiẽdo subijcito, ac medicamentum media dosi, qua vesperi assumptum fuerat, mane repetito. Sin autem non purgandi intẽtione eo uti volueris, modò duas, modò tres, modò unicã, inde quatuor Pilulas, prout vel quotquot intra denarium numerum (quarũ quælibet duo grana ponderet) vo-

volueris, vel ante jentaculum, vel ante prandium aut cœnam, aut etiam vesperi cubitum iturus devorato. Licebit eo quovis tempore, imò in medijs symposijs (quod ipsi, at forsan non rectè fecimus) usurpare, magno tamen ejus fructu contenti.

Sumendum hoc medicamentum sæpe, idque hebdomadatim, si non ter, vel pluries, semel saltem atque iterum, si dosis unam, duas, tresùe Pilulas non excedat; alioquin singulis mensibus bis id, vel tantummodò semel assumpsisse suffecerit, sed tunc dosis largiùs extendenda, ita ut primâ vice dimidius scrupulus, dehinc intercedentibus paucis horis grana rursus sex, ac inde post modicum quatuor rursus grana assumendo sese mutuò subsequantur, sibimet & assumenti auxilio futura, sic enim

Aloedarium hoc sæpiùs assumendũ

nim integer scrupulus trina dosi inter sedecim horas assumetur, qui una vice securè transglutiri potuisset, non tamen tunc tantũ effectum præstiturus, quàm si intercalari hoc modo frustulatim quodammodò ventrem subijsset, in quo lentam trahens moram operatione minimè frustrata, viscera quævis imbuit, extergit, mũdificat ac tuetur potiùs quàm si violentèr una vice datus subitò intestina permeasset, ac non parta venia sine fructu turbas solùm abdomini faciens transijsset, cùm tamen medicamentum hoc ideò tardè operari deceat, ut cruda priùs quæ medicationi haudquaquã subjacent, vel obediunt, concoquat, crassa attenuet, viscida incidat, obstructionibus occlusa reseratis oppilationibus evocet, lẽta abstergat, atq; sic paulatim pede-


detentim & absque ulla vel turba vel turbine, clandestinè ne dicã, subdolè noxia quæque subducat, ac mortis maturioris radices sine pulvere (ut ajunt) evellat, naturæ quæ benignè tractari vult, nullam vel minimam molestiam sua commotione illaturum imò deperditas aut à pravis succis oppressas vires reparaturum.

Aloedarium hoc naturæ haudquaquã molestum.

QUOMODO quàve forma Aloedarium hoc exhibendum sit si perquiris, scito velim, id nõ commodiùs, quàm si in pilulas effingatur, usurpari posse, si enim medicamẽtum liquore aliquo dilueretur, nemo assumens ejus amaritudinẽ toleraret, ea res fecit, ut per opusculi huj⁹ decursum promiscuè pharmacũ hoc modò Aloëdarium, modò Pilulas Marocostinas nuncupaverimus. Porriguntur autem commodissimè ex coch-


Aloëdarium Marocostinum forma Pilulari facillimè assumitur.

cochleari vini albi odoriferi, aut etiam ex jure pulli, vel liquore aliquo ad ſumentis affectum directo, imò verò quàm optime & facillime ex cochleari Syrupi alicujus appropriati transglutiuntur, quarum rerum enchiriſin ſequens Caput, DEO dante, manifeſtabit.





Cap.



CAPVT XV.

DE ALOEDARII Marocostini ad singulas humani corporis partes, diversosqué affectus artificiosâ accommodatione, & quo modo id ad quælibet horum dextrè dirigi debeat, ac pluribus morbis Analogum reddi possit.

VNum eundemq; hominem nunc inermem in pace domi vivere, nunc munitum in prælio in-

inter luctas versari, nunc comptũ in forum prodire, nunc neglecto corporis ornatu vix formæ suæ faciẽ ac figuram prę se ferre, nunc jejunum seria negotia tractare, modò ebrium, aut iracundum, & à ratione quam tenet haud parùm remotũ furiosè debacchari, adeoque varia vitæ munia obire, diversosq; affectus exprimere, ac distinctos effectus moliri & posse & solere cùm cõpertum sit, medicamentum quoq; idem, attamen diversimodè exhibitum, diversas quoq; operationes perficere posse credendum est. Et licèt hominem ex actu suæ liberæ volũtatis modò hoc modò illud moliri posse quis dicat, medicamentis interim ratione, aut discreta agẽdi potentia carentibus, ideoque claudam hanc sibi similitudinem videri quispiam arbitrari queat, sciat

Diversi sæpe effect' ab una eademque causa agẽte prodeant.

ſciat is tamen medicamenta ita à DEO omnium plaſmatore plus magis ſtupendo quàm admirando, ejuſdemq; ſub delegata opifice natura conſtituta, ijsque virtutibus dotata eſſe, ut unum quodlibet analoga quadam ratione modò huic viſceri, vel humori amicum, modò huic vel parti, vel ſucco infensũ eſſe ac diverſimodè uſurpatũ in diverſas partes diversè agerè ac operari, diverſosq; effectus edere ſit obſervatũ. Hinc eorum aliqua jecoraria, alia ſtomachica: quædam cephalica, nõnulla ſplenetica, pulmoniaca uterinaq; dicta fuerunt. Teſtatum autem fecit à priſcis jam ſæculis diducta multorum animadverſione experientia, inter purgantia pharmaca peculiarem hanc abſtruſarum cauſarum vim à ſympathia quadam occulta profi-

Medicamenta diſtinctis partibus dicata.

N ci-

ciſcente potiſſimùm eluceſcere, & ab ijs qui in arte Medica dextrè verſantur præ cæteris notari, cum Rhabarbarum bilem, Agaricum pituitam, Senam melancholicum ſuccum, Mechoâcam aquas, Tamarindos ſerum, Helleborū aduſtos humores, & alia alios quoſdam peculiares ſuccos peculiaritèr educere animadverterint ac obſervârint, unde eorum pleraq; Pharmaca electivè purgantia nominavêre, quorum quodlibet ſuum cum delectu humorem antichorem ſibi familiarem præ cæteris alijs prolectaret.

Pharmaca humoribus per ſympathiam analoga.

Electivè purgantia

Igitur & medicamentis dignotio quædam & electio eſt humorū, ac quaſi quidā intellectus, quo duce ſuum unum quodq; humorem aggreditur ſpretis quaſi autne-

neglectis cæteris, donec effusa priùs vi in humorem sibi analogum residua virtus reliquos propinquiores succos mutuo successu pervadat, atque has quidem operationes Medici cùm à primis qualitatibus haudquaquam dependere cognovissent, occultas medicamentorum proprietates nominare censuerunt.

Occultæ Medicamentorũ proprietates.

Sed & unum idemque Medicamentum diversimodè exhibitum diversos effect⁹ edere, ac diversis partibus commodare nulli inter Medicos dubium fuit, cujus rei infinita ferè est apud Dioscoridẽ cernenda varietas, pharmacum hoc vel illud modò ex passo, nũc ex mero, vel aqua, jam ex mulsa, tum ex posca, indè ex melicrato, sapâ, aut oxymelite, aut aceto por rectum, nunc hoc, nunc illud præstiturũ pollicente, hæc enim me-

Medicamenta diversim exhibita diversos effectus edunt.

dicamentorum sunt quædam quasi vehicula eorũdem vires ad partes, quæ diversim languẽt, deducentia, ad proprias & peculiares ægritudines directa, ac stimuli quasi quidam pharmaca in hanc vel illam viam impellentes.

Morbus an per essentiam, vel consensum in parte aliqua enatus cognoscendum.

Proindè si ad capitis morbos medicamẽtum dirigere volueris, habitâ priùs indagine, num affectus per se in cerebro enatus, ac per essentiam (ut Medici ajunt), ibidem persistat, an verò ex ventriculo, utero, aut partibus subjectis per consensum (ut vocant) originem traxerit, diverso planè modo pharmacum accommodabis, utpotè in metu Apoplexiæ aut Paralyseos, finge pilulas cum aqua vitæ Langij, aut Elixirio magno Matthioli, aut cum essentia Rorismarini, adde simul grana aliquot Ambræ, easque pilulas ve-

In Apoplexia & Paralysi.

spe-

ſperi cubitum ituro ex cochleari Mellis anthoſati, aut ex Melle Primulę veris, vel Syrupo de Betonica deglutiendas dato. In vertigine similiter, junge ijs Spec. Diamoſchũ dulcis, Pliri ſarcotici vel Diã bræ, aut grana aliquot Balſami Sulphuris à Crollio deſcripti, effinge eas poſtmodùm cum ſpiritu Ceraſorum, & ex Syr. de Stœchade, Melle Emblicorum, aut Syrupo conſervationis Salviæ bacciferæ exhibeto. In Epilepſiæ periclitamento, adde illis extractum Diapæonias, & appara medicamen cum ſpiritu Liliorum convallium, deglutiat id æger in aqua Hirundinum compoſita majore, cum Ruta & Caſtoreo extillata, aut ex cochleari Syrupi de Pęonia, cui aliquot aquæ Epilepticæ guttulæ miſceri poſſunt. In viſus obſcuritate, quæ à craſſis & frigidis hu-

In Vertigine.

In Epilepſia.

In obſcuritate viſus.

humoribus nervum opticum occupantibus, ac spiritui visivo exitum prohibentibus, aut pupillæ dilatationem minitantibus orta est, forma pilulas ex spiritu Euphragiæ aut Fœniculi, ac eas itidē cum aqua hirundinum præbe. Id autem diligentèr observato, si morbus à noxa subjectarum seu partium inferiorum damno aut conspiratione dependet, aut ab illis proficiscitur, medicamentū cœnæ parciori præmittendum; sin autē ex ipsius capitis proprio vitio provenit, duabus ac etiam tribus post cœnam horis usurpādum esse, quæ enim inferiorem ventrem affectiones tenent, citiùs ac cōmodiùs medicamini cibo præeunti parent, prout quæ caput infestant, pharmacis à cœna sumptis faciliùs obediunt, si ea ele-

In morbis vel effecti bus per cōsensum oris Aloedario antepastum utēdumè cōtraverò in iis agendum qui per essentiam affligunt.

electivè purgantia non fuerint.

Nunc verò in Orthopnœa, asthmate ac veteri tussi adijce Extractũ radic. Enulæ, additis guttulis aliquot Seminis Anisi aut Fœniculi, ac Sale Cardui Bened. vel etiam guttula una atque altera Ol. Sulphuris, easq; pilulas exhibe cũ Oxymelle Scillitico, aut Syr. de Prassio, vel de Calaminth. In cruditatibus vẽtriculi Ol. Macis, Caryophyllorũ aut Cinnamomi nõ nihil aspergito, præbeque eas ex Melle Rosato Citrato, Syrup. de Cinnamomo, vel de corticibus Citri aut de Nuce moschata. In cachexia & malo corporis habitu, hydrope incipiente ac Icteritia, adde Extractum Curcumæ & Cyclaminis cum Sale Absinthij Centaurij, Epuli, Cucumeris asinini, aut A-

In morbis Pectoris.

In ventriculi cruditatibus.

In cachexia.

grimoniæ, aut cremore Tartari ritè præparato. Porrigatur hoc deinde Aloëdarium ex Syr. de Eupatorio, vel Aperitivo magistrali, cui insint ol. Sulphuris acidi, aut spirit⁹ Vitrioli rectificati guttulæ aliquot. In splenis affectibus vigorentur per adjectionem Salis Tamarisi, ac dentur cum Syr. de Pomis, vel de Scolopedrio. In colica junge pharmaco oleum Carui cum Extracto Gentianæ & Calami Aromat. acid. ex Syr. de Enula aut de Chamomilla devorandum dato. In obstructione renum aut ureterum à crassis humoribus aut putri mucco factâ, Oleum Terebinthinæ adijcito, ac Salis Tartari, Pimpinellæ, aut Ononidis nõnihil, vel ipsam Terebinthinam ex aqua Maluæ ad duritiem lege artis coctam Aloëdario admisce, quod æger ex cochleari

In morbis Lienis.

In morbo Colico.

In affectibus Renũ ac ureterum.

leari Syr. de Althpa, aut Adianthini Fernelij, vel Neophrocatarctici Jouberti absorbeat. In uteri præfocationibus, ac dolorib⁹ matricis flatuosis, admisce Extracti Ostrutij aut Levistici parũper, cum Castorei granis aliquot, & porrige medicamentum hoc ex Liquore Panacis Heraclei, aut Syrupo de Succo Mercurialis vel Melissophyli, cui extractum quoque Diapæonias, aut Salis Artemisiæ pauxillum miscere poteris. In infecti aëris suspicione, ac cõtagionis metu, adde Ol. ex cort. Citri extillatum, cum Sale Fraxini, itemque extractum Zedoariæ, Angelicæ vel Carlinæ, degluriatur pharmaci portio aliqua pro præsentis Medici suasu quotidie in parva dosi aut quantitate ex Syr. de Limonibus, aut vino Cydoniorum; vel si frigida auræ &

In vteri præfocationibus doloribusque.

In infecti aëris suspicione ipsaque Peste.

 su-

ſumẽtis conſtitutio fuerit, ex Syr. de ſucco Cardui Benedicti, Pimpinellæ, aut Scordij, cui inſperſa ſit aliqua aquæ Stapedianæ portio, quod ipſum medicamen cõmodiſſimè pro ætate, cõplexione, aut conditione eius qui hoc uti volet, ex aceto Rutaceo, aut Sambucino, vel Juglandino, imò & ex aceto Theriacali, Syrupo de Rubo Ideo, de floribus Tunicæ, de Agreſtâ, de Creſpino, de Berberis, aut ſimili, modo aſſumi poterit, de quibus, Deo dante, in libello noſtro de Peſtilentia mox recudendo (in quo augẽdo, locupletando, ac majoribus experimentis ditando jam nunc laboramus) prolixior extabit diſſertatio.

Sic igitur Aloëdarium hoc ad diverſos morbos analogum iiſq; homogeneum reddere poteris. Quoniam verò id ipſum morbos

ma-


magis antevertit ac præcavet, corpusq; ab ijs quàm maximè tuetur, ideoq; in morbis iã factis aut habitũ ducẽtibus (quia modestũ, benignũ, ac debile per se est pharmacum) tantâ vi nõ pollet, ut radicitùs eos evellat, liberum erit cuiq; prudenti Medico, si necessitas exegerit, aut ex remotiorib⁹ locis noxij humores evocandi fuerint, his pilulis stimulum quendã adjungere, ut in affectibus capitis Extractum Pilularum Cochiarum, aut id quod ex Speciebus earum, quas *Sine quibus* Galenus appellare fuit solitus, parari consuevit, imò quàm maximè Cnicopharmacũ, tum verò & Extr. Catholicum, Panchymagogõ, prout in hydrope Extr. Mechoacæ ac Rhabarbari aut Colocynthidis, seu Trochisc. Alhandali vel grana aliquot guttæ Gamadræ in pecto-

Aloëdarium hoc morbos magis præcavet quã iam factos curat.

ris ac uteri vitijs, Extractum Agarici, undè in contumacibus quoque ac inveteratis morbis præsertim ab atrâ bile pendentibus, Extractum Melampodij utilitèr adhiberi poterit, sed hæc omnia modestè, dextrè, cautè, ac cum grano (ut ajunt) salis.

Aloëdarium hoc à violentorum pharmacorum permixtione est alienum.

Nos autem Aloëdarium hoc virginem esse voluimus, ut cui nulla inesset nocendi occasio, quodque ab omni Scammoniatorum ac violentorum aliorum medicamentorum admixtione haudquaquam adulteratum, sed impollutum consisteret, ac sanitatis tutelæ nihilominus plurimùm commodaret.



CAPVT XVI.

DE POSTERIORE *Aloëdarij parte, seu pilulis Marocostinis secundis.*

QVandoquidem in primo opusculi huj⁹ Capite structuram Aloëdarij Marocostini continentis, secundæ quoque extractionis seu Pilularum Marocostinarum secundarum præter primas mentio facta est, quarum itidem subsistentia, ex ijsdem simplicibus pharmacis, ex quibus prior aut prima massa emerserat, parari cōsuevit, necessarium fue- Pil. Marocostinæ secundæ.

 rit,

rit, secundarum jam dictarum Pilularum usum quoq; ac vires indicare.

Prolicitur autem prior seu potior, ideoq; nobilior medicamentorum ad compositionem hujus Aloëdarij requisitorum virtus, ijs ipsis primò in succis & liquorib⁹, quos descriptio pharmaci hujus continet, lege artis singulatim dilutis, deindè verò conjunctim & ad invicem confusis, ea lege, ut hi optimas Aloëdarij partes debita digestione prolectas in se trahant, qui postea sola inclinatione separantur, & in chylisma pilulis formandis idoneum coguntur. Extillati dehinc liquores fæcibus prioribus, è quibus potior jam virtus emigravit, secundò reddũtur, ut hi quod residuum facultatis adhuc in ijsdem remansit, secundâ vice imbibant, ac in sese didu-

diducta virtute extrahant ac prolectent.

Notandū porrò primam Aloëdarij extractionē solà inclinatione & transcolatione absq. ulla expressione parari, secundam verò nonnihil violentiæ ob expressionem licèt leviorem pati, proindè etiam minùs subtilium partium existere, ideòque paulò infirmius operari, cum prior primogenituram ejusdemq; jura secundæ præripuerit. Sicut enim vinum prodromum, quod primò ex torculari defluxit, multò nobilius est medio ac posteriore, ita quoq; in hoc medicamine fieri consuevit, ut prior infusio, & ex hac elicita Aloëdarij vis, multò sit quàm secunda præstantior perfectiorque: Prima enim spontanea est, altera coacta; hæc servilis, illa libera; primus chylus, glaber ac mollis ut

Prior Aloedarij pars sola inclinatione, secūda verò expressione perficitur.

ut Jacob, secūdus ut Esau, hirsut' & asper quāvis fratres extiterint ex una progenie ijsdemq; parentibus nati, sicut & Aloëdarij hujus prima & secunda extractio ex ijsdem simplicibus cōstat, licèt (ꝑut diximus) prior magis subtilium partiū, ac quasi aërea existat, secundâ nōnihil terrestreitatis ac fæculentiæ reservante. Undè si purgandum corpus fuerit exactè, aut Medicus quispiam electivè purgātia Aloëdario huic adijcere voluerit, rectiùs fecerit, si secundis Pilulis his fuerit usus, his .n. robustiora pharmaca magis sunt accommodata, & naturæ quadam proportione familiora.

Nec verò defraudādi sunt hoc Aloëdarij munere pauperes secūdâ Aloëdarij parte gaudentes, ubi dosin ejusdē auxerint, nam & *ca-*

tell.

telli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, nihilominus tamen plenum medicaminis fructum percipientes, ac quasi nihil habētes & omnia possidentes; nos enim ipsi notavimus etiam secundas Pilulas Marocostinas priorum effectum, eadem dosi, vel paulò majore usurpatas, perfectè ac solemniter (ut ajunt) quandoque reddidisse, atque id ipsum præstasse, quod à prioribus exspectatum fuerat. Ac licèt secundæ non ita subtili penetratione ut primæ corpus pervadant, firmiùs tamen ventriculo hærent, quantumvis tardiùs eundem eluant, mansit enim in his terrestreitatis nonnulla portio, cujus subtilior pars ac quasi flos in primam extractionem sublatus commigravit.

Pilulæ Marocostinæ secundæ idē quod primæ pręstant, licèt paulò sint debiliores ac prioribus minus nobiles.

Duplo itaque pondere exhibitum

tum Aloëdarium secundũ, idem præstabit quod primũ, imò plùs quandoque operabitur, quia quò id subtilius, tantò hoc fortius, nõ quidem effectus ratione, sed humoris deturbandi & medicaminis assumpti proportionata inter se conditione.

Habes hîc igitur, candide Lector, Aloëdarij nostri ad humani corporis conservationem ac tutelam sanitatis explicatam faciẽ sine fuco tibi præstitã & præstatam, & licèt ea tersior puriorq; in publicũ prodire vel potuisset, vel debuisset, cõnivebunt tamen (ut opinamur) laboribus nostris hæc tempora, quę tantis fatigationum turbinibus nostros conatus inquietari sciunt ac sentiunt, ut nescias num labor conatum, vel conatus laborem superaverit, aut uterque æquali prælio fessus cõciderit.

Auctoris excusatio.

derit. Nobis enim non licuit, nec tantum in tanta occupationum farragine otij fuit, ut in tam tenuis opusculi, vel potius opellæ culturâ, nostras penitùs vires, ac totos quasi dies, aut maximam eorum partem locantes consumeremus, unde laborum nostrorum non laudem, sed veniam petere fas est cum Ovidio lib. 1. de Trist. b. eleg. 8. sic fando:

Et veniam pro laude peto, laudatus abunde,
Non fastiditus si tibi lector ero.

Cùm autem ingeniosorum quorundam Catonum aut censorum morsum hæc scripta vix sint evasura, nostrum hoc sit in Aloëdario hoc Antidotico Antidotũ, cuncta nos quæ produximus, cæteris præclaris viris, ac de Repub. Medicâ passim in orbe benè meritis cẽsenda reliquisse, & approban-

banda dijudicandaq; propoſuiſſe, ita enim medicaminis ipſius ſimplici mediocritate, imò & mediocri ſimplicitate ſervatâ, immunius prodibit pharmacum, cum interim


Magna cadant, inflata crepent, tumefacta premantur.

Non autem proprius faſtus ac ſuperbia, ſed artis Medicę ſplendor, quin & communis humani generis ſalus, ac civium cœtus aliorum infidorum medicaminum tenebris perſtrictus, tum etiam dignitas eorum, qui hoc Aloëdarium à nobis ſtrenuè flagitare non deſierunt, hoc ſcripti tandem inter onerũ aliorum turbas extorſit, cui ſi acer Momi morſus aculeones ſuos ſubfixerit, qui jam alioquin aliorum labores & rodere, & radere paratus ſemper exiſtit, reſpon-

ſponſum hoc Momo damus cum Heurnio dicente,

Mome favere decet prodeſſe volentibus, ergo
Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.

Noſtros autem hos conatus qualeſcunque in generis humani culturam & protectionem, ac boni publici incremẽtum directos, ut largitor omnium bonorum DEUS benignè ſecundet, obnixè rogamus, ipſe enim eſt qui immittit, & retrahit, qui miſeretur & commodat, quique facit mirabilia magna ſolus, cui honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, AMEN.



NO-

NOBILIVM QVORVNDAM ET CLARISSIMORVM VIRORVM

in arte Medica præclarè versatorum, ac passim in orbe laudatissimâ fama notorum, de Aloëdario hoc Marocostino censuræ ac testimonia, judicio simul & usu perspecta.

In novam ex Maro-costinis Pilulis Medicinam,

VIRI NOBILIS, CLARISSIMI, SOLERTIAQVE ET

usu Medicinæ celebratissimi,

D. RAYMVNDI MINDERERI,

Medic. Doct. & Physici Reipub. Augustanæ meritissimi.

Q*Vem pridem Pestis-pestem metuêre Sorores,*

Quæ

Quæ nent, quæ vitæ stamina ducta secant:
Ille parat Morte plenam per Pharmaca mortem
Morborumq́ uno vim iugat auxilio.
RAYMUNDUS *Phœbi soboles: cui Vinda, Licusq́*
Non magis, atq Ister, quâ sua Rhenus item
Flumina protendit, pariet dignissima Vitâ
Nomina, & æternum ad post oritura decus.
Ergo tacere satis fuerat: tamen vsq rogando
Vrget iudicij pondera nostra: ferat.

NON AUGUSTA NISI AUGUSTÂ
MITTUNTUR AB VRBE
SCRIPTA VIRÛM, PROPIUS
QUOS LOCAT ÆTHRA
DEUM.

David Verbezius Carno-Lubeanus Phil. & Medic. Doct. ac Reipub. Ulmensis Physicus.

JA-

IACOBI BERCKMILLERI MED. DOCTORIS ET ILLUST. ac Generoſor. D. D. FUGGERORUM Polyatri fideliſſimi,

In Marocoſtinas RAYMUNDI MINDERERI *Collegæ humaniſsimi Pilulas*

CARMEN.

Proles Aeſclapij nova fert medicamina genti,
Dum fel demonſtrat, mellis habere locum.
Optant in Medica iuvenesq́; ſenesq́; caterva,
Artem complecti nunc breviore via
Te duce: cum morbi furias, ac omne venenum
Hac ſola Maſſa vincere non dubitas.

IN

IN COMMENDATIONEM PIlularum Marocostinarum Serenissimi utriusq; Bavariæ Principis, nec non Reipub. Augustanæ, Clarissimi ac peritissimi Domini Raymundi Mindereri Medici.

QVas MEDICINA *dabit tibi pro Medicamine tanto*
Laudes? Vir magnâ Pæonis arte petens?
Magna decent Magnum te, dignaq; præmia dignum,
Factaq; consequitur grandia grandis honos.
Profligas febres, segetemq; putredinis aufers.
Quo sumpto, refoves Nestoriæ indè dies.
Præsentes sanas morbos, arcesq; futuros,
Infectum corpus nec finis esse lue.
Hoc duce propellis volitantia tela veneni,
Quæq;, etenim vera est hac Panacaa luis.
Cætera quid memorem? evadet res clarior usu,
Vndè potest quivis nosse salutis iter.
Vt doctrina tibi, rerumq; scientia summa,

Sic Medicâ hinc summum carpis in arte decus.
Perge manu medicâ, fœlicius omnia cedent,
Munia sint vitæ, munera Mortis erunt.

Narcissus wagner Augustanus, Med. D. & Reip. Thonavverdanæ Physicus.

NOB. ET CLARISSIMI VIRI D. D. CONSTANTINI OESLERI, SErenissimi Ducis Pommeraniæ Medici spectatissimi, de Aloëdario hoc, seu Pilulis Marocostinis sententia, ex literis Nobilissimi Viri Dn. PHILIPPI HEINHOFERI, Patricij Augustani, deprompta.

P*ilularum Marocostinarum, excellentissimi & præclarissimi D.D. Raymundi*

di Mindereri, domini & amici mei singularis, descriptio ab ipso mihi communicata, tam quò ad materiam, quàm præparationis formam, non video quomodo aut mihi aut alijs non placere debeat, aut possit. Quippe quod in præservandis multis ex humorum corruptione aut putredine luxuriantibus periculosissimis morbis, tum etiam cerebri affectionibus sensim abigendis, præsertim vero in mesenterij & cohærentium viscerum infarctu leniter expediendo accommodatissima sint, & propter subtilitatem altius penetrent, atque tenaces etiam humores subigant, adeò ut respectu multorum morborum chronicorum, quinimò etiam malignorum, Benedictæ Medicinæ titulo indigitari mereantur, aut potius semetipsas, quando exactè ad trutinam revocantur, indigitent. Quod candidè atque liberè, non sine fundamen-

tis, scribo. Habet & Dominus quod petijt iudicium meum. Dabantur Stetini Pomeraniæ 22. Ianuarij, Anno 1616.

S.P. & officia paratissima Nobilis Clarissime Vir, Domine amice honorande, &c.

ACcepi quod transmisisti mihi in αὐτογράφῳ Aloëdariū formâ Pilulari effigiatum, & quum pluribus hactenus profuerit, typis propediem evulgandum; qua de re inter complurium aliorum, celeberrimorum Virorum sententias, meam quoque exigis. Sed quid ego strepam anser inter olores? aut quæ mea vox? quis calamus? ut his medicamento alioquin laudatissimo aliquid momenti vel authoritatis conciliari posse arbitreris? Verùm quoniam pro imperio, quod tibi pro veteri amici-

micitia nostra in me est, hoc, licèt invitum, facere jubes: dicam paucis quod sentio. Aloëdarium istud capiti tum depurando, tum roborando apprimè utile, non solùm mereri lucem, sed pro communi Reipub. bono celerrimam mereri: ita enim quà materiam, quâ artificium affabrè concinnatum est, ut pluribus prodesse, obesse queat nemini ritè usurpanti. Tu porrò Vir Clarissime, de re Medicâ benè mereri perge: erit fortè aliquando quò parentis mei Viri integerrimi b.m. interitum, ab interitu vindicem. Benè vale, meq́ ama, &c.

Albertus Menzelius, M.D. & Professor Ingolstadiensis.

S. Clarissime D. D. amice honorande.

R*Eddita sunt mihi litteræ tuæ, quibus*

ut meam de Pilulis tuis Marocostinis sententiam per litteras tibi aperiam petis. Et si autem tantum mihi non sumam, ut quæ à te profecta sunt, & accuratissimè elaborata, meæ censuræ subjiciam, attamen ut voluntati tuæ obsequar, paucis scribam, idq; candidè quid mihi videatur. Tuum erit pro amicitia nostra dextrè illa accipere & interpretari.

Legi itaque descriptionem tuam, quam non possum non maximè probare, Compositio enim illa elegans est & artificiosa, usus verò multiplex, salutaris ac tutus, ut & Polychrestæ & Benedictæ Pilulæ optimo jure vocare mereantur. Nam non solùm ventriculi calorem languentem erigunt & excitant, concoctionem juvant, crudos, pituitosos, biliosos, nec non corruptos ac putrescentes humores in illo collectos, aut in primis vijs hærentes abstergunt & educunt:

cunt: verùm etiam qui penitùs ipſam ventriculi ſubſtantiam pervaſerunt, eiusq́ tunicis impacti ſunt, ſua tenuitate ac penetrandi vi qua pollent maximè, potentèr eliciunt & evocant. Hinc conſequentèr à varijs morbis qui à prædictis humoribus oriri poſſunt, homines præſervare & tueri valent. Adde quod obſtructiones ſolvunt, uterum, pectus, & alia viſcera mundant, undè dubium non eſt, quin diuturnos capitis dolores, vertigines & alios antiquos affectus præſertim qui per conſenſum à viſcerum intemperie aut immunditie dependent, longo uſu tandem evincant & abigant. Dum autem iſta corpori præſtant, nihil interim incommodi afferunt, ut nil habeas quod metuas: non violentam operationem, quia ſolutiva pharmaca hîc exulant, ingredientia verò benigna & blanda ſunt omnia: non caloris gradum, quando-

quidem is aceto, ſucco Limonum, Citri Cichorij &c. in ipſa præparatione ad temperiem reductus eſt, neq; eſt quod Pharmaci tenuitatem (quæ ob terreſtris ſubſtantiæ ſeparationem extractis ferè ineſſe ſolet) quiſquam nimium formidet: etſi enim in hac compoſitione Rhabarbarum, Agaricum, Marum &c. unà cum terreſtreitate ſtipticam quoque vim per extractionem ſimul exuant, Aloë tamen quæ baſis compoſitionis eſt, eam retinet, ut propterea hæ Pilulæ aſtrictionis alicuius etiam ſint participes. Verùm quia Galen. lib. 13. Meth. med. cap. 6. diligentèr monet, ut ventriculi & reliquorum publicum nutritionis munus obeuntium viſcerum robur per aſtringentia ſervare, & ne diſſolvatur, cuſtodire ſtudeamus, ideò fortè præter rationem non fuerit, ut in diuturnō harum Pilularum uſu alia quædam aſtringentia, ven-

ventriculo accommodata maioris roboris gratia ſimul adhibeantur. Hæc ſunt Clariſſime Vir, quæ ad te ſcribere volui, ſaltem ut petitioni tuæ morem geram: nam digna non judico, quæ aliorum doctorum & celebrium virorum cenſuris ſubiungantur. Tibi verò gratias ago, quod noſtram Medicinam tam egregiâ compoſitione locupletare voluiſti, idq; ut deinceps quoque pro induſtria tua facere pergas, rogo & hortor. Vale.

Joan. Georgius Brenggerus,
M.D. in Kauffbeyrn.

S. P. &c.

B*Ona fortuna (quod aiunt) accidit, ut præter opinionem, non tantùm in Pilularum tuarum Marocoſtinarum cognitionem venirem, ſed quid de ÿs ſentirem,*

O 5 tu-

tu pro humanitate tua à me peteres, cùm id genus officij ab alijs celebrioribus Medicis impetratum haberes. Qua in re, etsi libentèr tibi gratificari velim, vereor tamen, ne in eis extollendis vel plus dicam, quàm par est, vel parciùs dicendo offensam promerear apud eos, quibus multiplici usu sese commendarunt, præterquam quod de nobis medicamentis absque experientiâ iudicium difficile sit. Quando autem ita vis, & ne prorsus ἀσύμβολος hinc abeam, de ijs saltem mussitando aliquid dicam. Igitur ad nomen ipsarum quod attinet, quas tu Marocostinas appellas, ab alijs, opinor (paulùm immutata compositione) Angelicæ sunt vocatæ, Aloë ubiq; loco basis prædominante, ut propterea Essentiæ Aloes nomen promeruerint: nobis fortassis non iniuria Domesticæ, vel si permittis, Catholicæ (ob clementem earum

rum

rum usum) indigitari possent. Vtcunque sit, cùm nomina tantum significent, non etiam curent, ut author est Galenus pluribus in locis, ea compositionis ratio, eaq; medicamentorum natura esse videtur, ut blandè, sed parcè, & absque humorum turbatione suum in purgando officium exequantur, leniter educendo, quæ in ventriculo & viis primis, circaq; viscera obhærent, obstructionum diversæ materiæ, tum acres, tum adustæ & pituitosæ, fomites febrium aliquando futuræ, à quibus ægros, ut ab aliis omnibus humorum corruptelis præservari posse, non ineptè opinor, credo: ut ob id sanitatis tuendæ certũ præsidium & Antidotus haberi queant. Ob quem usum etiam in præservatione pestis valebunt, pestilentialibus multò efficaciores, non item in peste ipsa, quod febris prohibet, congruis præsertim additis aquis, lo-

co earum, quas præsens compositio habet: ut de cætero cordis & cerebri vires roborent & confirment. Quibus omnibus attestatur virtus eorum, quæ in eas ingrediuntur, & præparandi artificium, quod in ijs longè est exquisitissimum, & quo officinæ nostræ in plerisq; destituuntur, licèt de cætero medicamentorum præstantium copia abundent, ut non immeritò hac in parte Chemiæ sobriæ de via cedere cogantur. Et hæc ad tuas rescribere volui, cùm ut voluntati tuæ satisfacerem, tum ut tibi ad ulteriorem amicitiam aditum præberem, enixè rogans, ut hæc æqui boniq; facere digneris, de quibus mox emunctiora à te videbo, de ijsq; scholæ Medicæ pro auctario recenti gratulabor, &c. Vale quàm fœlicissimè. Datæ Vlmæ, ex musæo, XVII. Ianuarij, Anno M. DC. XVI.

Laurentius Gualtherus Küechelius, M. D. ibid.

S. P.

Accepi, Vir præclarissime & amice honorande, Pilularum tuarum Marocostinarum descriptionem. Agnovi ex ungue leonem. Fuliginosi Hermeticarum Musarum mystæ sui lapidis philosophici mysteria, circa metallorum ἀλλοίωσιν, *ac hominum* παλιγγενεσίαν *ex orco tartareo usq; ad cœlum extollunt: & hæc esse sacra Græcorum* ἀβέβηλα *& Eleusinia dictitant, à quibus procul procul quisq; profanus, teste Callimacho in hymnis. Sed quantopere chrysurgi hactenùs magnatibus imposuerint* λιθοσοφία, *sole meridiano clarius est. De vita prorogatione in longissimum tempus quid sentiendum sit, docet Aurelius Philippus Theophrastus Paracelsus, ipsorum coriphæus, qui dira illa vulnera, le-*

pram, podagram, hydropisin, aliaq; insanabilia corporis contagia arte sustulit mirifica, & annos (vah) natus 47. vitam cum morte commutavit. Ergo hercle Paracelsistarum nugis, & similibus Panaceis longè præfero Pilulas tuas, tum ob inventionis sagacitatem, tum ob certam & securam ἐπίκρασιν, tum ob spagyricæ præparationis dexteritatem. Sartam quippe tectam servant universi corporis liturgiam à putredine & corruptione humorum, à qua omnes invaletudines scaturiunt: saburram succorum exorbitantium blandè citra vehementem ταραχὴν, non uti cathartica scammoneata, Turpetum minerale, gemma Antimonij, & alia ejus farinæ, educunt, vt simul unà humores qui non ad extremam devenere pestilitatem in pristinum vindicant vigorem, omnibus partibus prosunt, obsunt illi, ut sunt vera margarita

&

& alexiteriũ contra venena, pestem, cerebri debilitatem, catarrhos, morbum Herculeum, Apoplexiam, hepatis, ventriculi ac pulmonum vitia, febres, calculum, aquam intercutem, colicam, lumbaginem, arthritidem, ulcera, abscessus, &c. An non hoc est vitam prorogare, & mortales libidinariorum sandapilis eripere, dum insalubria averruncantur, salubria in statu suo incolumia conservantur, ne morbi sanctici sanitatis œconomiam demoliantur? Quin per hanc ἐπίκρασιν haud spernendum corporis omnibus membris robur suppeditatur, ut probè suo munere fungi possint. Perge ergò, Clarissime Domine Doctor hisce & similibus de Repub. Machaoniâ bene mereri. Nec te absterreat balatronum maledicentia,

Ridet nam cumulat veterator laudis acerbum:

Per nequam atque bonos laus venit æqua bonis.

Quod si ne Iupiter quidem omnibus οὔτ' ὕων, οὔτ' ἀνέχων, placere potest, ecquis à te, ut omnibus placeas, exiget? A bonis præmia reportabis sostra, soteria, iatrea, didactra, ac charistetia. Vale, & hanc meæ observantiæ arrham habe.

Hieronymus Reusnerus,
M. D. in Nördlingen.

S. P.

Nobilis & Clarissime Vir,

Dn. & amice honorande:

EXtracti tui Marocostini descriptionem accepi: de qua quid sentiam, paucis habe. Præclara sane compositio est, & ingeniosum eius artificium, ex quo acuta solertia, acre iudicium, cura & industria sum-

summa, ad hæc multarum magnarumq; rerum peritia pulchrè emicant, eius sive modus spectetur, sive ratio. Et quamvis mihi adhuc usu compertum non sit eximium hoc magisterium, præstantes tamen effectus ex eo spero, ob ingredientia, illa præsertim, à quibus nomen accepit, quæ præclaris proprietatibus & virtutibus dotata atq; ditata esse, gustus indicat, experientia docet, Medici etiam gravissimi testantur. Acris namq; & aromatica, quæ ipsis insidet vis & qualitas, præter quod calori nativo suscitando & roborando efficax esse putatur, piperatâ etiam suâ mordacitate & acredine tartareis & glutinosis humoribus dissecandis, solvendis & liquefaciendis mirabiliter præstare creditur. Hinc & reliquis etiam conspirantibus & auxiliantibus, ut Myrrhâ, Ammoniaco, thymiamate, Croco, generosum hoc medicamentum insignes

ſignes vires habere credo, quas præcipuè in roborandis & deoppilandis viſceribus totoq; meſenterio plurimiſq; profligandis affectibus, qui ex viſcerum & meſaraicarum obſtructionibus à craſſis, glutinoſis, frigidis & tartareis fæcibus oriri ſolent, quæ plurimarum ferè miſeriarum cauſa ſunt, in morbis etiam pectoris frigidis & difficillimis non poteſt non exerere. Et quamvis plerarumq; ferè ingredientium vires partim acriores nimiſq; purgantes, partim vehementiori calore prædita videri poſſent, eaq; propter naturis calidioribus parum commoda, ita tamen ſolerti & ingenioſâ correctione ac præparatione, artificioſâ etiam quæ per aquas deſtillatas fit, extractione, qui extractionis modus alijs etiam medicamentis adhibitus, inſigniter mihi ſemper placuit, eas domitas & attemperatas puto, ut ſecurè ſatis exhiberi queant. Sed

quid

quid iudico, iudicio non valens? anser inter olores. Clarissimorum & gravissimorum virorum censuram & sententiam, quæ condecorando & deprædicando generoso hoc medicamine par esse potest, & ipsum etiam Alcedarium tuum videre & admirari, nec non ipsarum Pilularum, quæ meritò in magno habentur prætio & æstimatione, effectus experiri avide desidero. Transmisi quoque Domino parenti meo, in arte Medicâ exercitatissimo, cuius sententiam exspecto & communico.

Scripsi hæc, Vir clarissime, Domine amice honorande, ut petitioni tuæ satis facerem: quæ ex tenui valdè ingenio profecta, ut boni consulas, Medicinam uostram cohonestare, nobis Medicis & ægris operam tuam subindè commodare, meq́ʒ, ut facis, amare

amare pergas, perquàm vehementer oro. Vale.

Jacobus Eckolt. M.D. in Memmingen.

Clari Parentis ad filium eximiâ laude conspicuum responsio.

SAlve in Christo fili charissime, tuas literas accepi, simulq́ descriptionem Extracti vel Pilularum Marocostinarum illis inclusam avidè arripui, propter authorem ipsarum, nempe Dominum Doctorem Mindererum, cuius doctrinam ut admiror, ita eiusdem labores & conatus in adornandâ Medicinâ synceriori plurimùm laudo & celebro: optandum esset, ut Academicis laboribus & studiis solùm vacare, & libris edendis adiuvando sic quàm plurimos

rimos inhærere posset, & non sic solis ægrotis curandis, ubi tamen etiam fœlicissimus est, vacare & tempus insumere cogeretur. In ipsius Pharmacopœia, & tractatu contra pestem multa habentur ex ipsius inventu ut rara, ita mihi approbata, ut in ijs mea etiam praxi qualicunque utiliter & cum laude utar, & in curandis ægris multum proficiam, quapropter ipsum meritò amo & venerer. Tu quaque occasione, ubi litteras ad ipsum dederis, ex me etiam plurimam salutem ei impreceris rogo. Harum Pilularum Marocostinarum descriptionem hactenus nec vidi, nec de earum præparatione quicquam audivi, malim ergò ab alijs de earum virtute & efficaciâ, qui aliquoties probarunt, erudiri, quàm meam sententiam & iudicium, quod admodùm tenue est, interponere, ingredientium virtus, & præparationis diligens modus admodùm

dum excellit, & mihi probatur, ut minimè dubitem, quin ad earum usum legitimum exoptatissimus subsequatur effectus, præsertim in morbis chronicis, & cachecticis, solutuq; admodùm difficilibus. Cum desiderio expectabo promulgationem ipsarum, quibus haud dubiè adiuncturus erit ipsarum virtutem & experientiam, in quibus potissimùm affectibus earum usus securus & utilis sit futurus. DEVS largiatur ipsi longævam vitam, ubi haud dubiè profecturus indies, plurimis prodesse, & suas lucubrationes multis communicare, & sic æternum nomen nancisci possit.

Petrus Echolt. M. D. in Lindau.

S. P.

S. P.

Nobilis & Clarissime Vir.

DEscriptionem Eccriſcos illius tuæ Marocoſtinæ à Domino VVolpharto Biberacenſi Phyſico mihi communicatam perlegi, video compoſitionem eſſe valdè artificioſam, induſtrium ac diligentem Pharmacopœum requirentem: quamvis vulgari modo parata maſſa, prout huius generis compoſitiones aliàs in quibuſdam authoribus vulgari modo concinnatæ occurrunt, aut fortiori menſtruo, extracta non quidem præſtantior, ſed efficacior fortè videri poſſit, quàm chylus aquarum ſtillatitiarum levi actione ex mineris vegetabilium ſecretus: ſed tu, prout Chymicis operationibus præſtas, penitiùs omnia videre potuiſti,

tuisti, nobisq; massam omnibus superfluitatibus permundatam, activitateq; formali refertam exhibere voluisti.

Basis porrò medicaminis fervens est & sicca gradu tertio, ideoq; in morbis subiectisq; Cholericis & in aliis, quibus illæ duæ qualitates excedunt, tutò exhiberi non posse palàm est, ne dicam ex frequenti usu etiam febres accendere posse.

Ideoq; utilissimas præstantissimasq;, omniq; exceptione maiores illas esse reor hominibus corpulentis, phlegmaticis, frigidis & humidis naturis: item senibus crudis destillationibus, ac Coryza perpetuò vexatis. Item obstructionibus contumacioribus viscerum, præsertim splenis laudabiles, in scyrrhis dissolvendis nulli alii medicinæ postponendas esse ratio suadet. Ideoq; artificiosum, laudabile, dignissimumq; quod in frequentem usum veniat,

Extra-

Extractum hoc tuum Marocostinum esse, nemo doctus dubitabit, &c.

Philippus Ludovicus Ebend.
M.D. in Memmingen.

S. P.

FLagitasti nuper, cum unà essemus in aula, ut fœtus tui maturi propediem edendi censuram, quàm fieri potesset, maturimè feram. Huic tuo in me studio & petitioni, ut, quantum possum, morem iam geram. Scias licèt tum temporis huius tuæ appositæ compositionis ideam seu σκιαγραφίαν, nunquam adhuc viderim: tamen effectuum quos præstare iam conspexeram, fœlicitatem, mirificum mihi amorem, opinionem singularem & desiderium flagrantissimum videndi excitasse. Nunc igitur,

cum eius ipsius per te mihi facta sit inspiciendi explorandiq; copia, apta elegansq; membrorum omnium totum hunc fœtum constituentium conformatio & structura, amorem & opinionem de eo prius conceptum veritatis suffragio iam auxit comprobavitq;, ut iure cum Poëta pronuntiare liceat; Gratiorem esse virtutem venientem è corpore pulchro. *Quod ipsũ re & αὐτοψίᾳ verum esse didici. Cum enim Reverendissimus & Clementissimus Dominus Episcopus huius tui fœtus unicam saltem pro una vice delibasset pilulam, ita tutò & iucundè, sed paulò tardius (pro indole Aloës) sine nausea, sine molestia & intestinorum lancinatione sexies vim suam admirabilem declaravit, multaq; viscida biliosis mixta (uti obtutus docebat) exclusit, ut doseos exilitas in stuporem me abduxerit; alijs postea vicibus, cum à tribus ad* quin-

quinq; usq; ascendisset, eadem quantitate, qualitate & modo officium consuetum absolverunt. Unde ab earum usu Reverendissimus Dominus Episcopus optimè hactenus habuit sibiq; commendatissimas, ad valetudinem conservandum, meritò in arce positas servat. Vale quàm fælicissimè, & me in tuorum censu habe. Datæ Lavingæ Calend. Martij, Anno 1616.

Bartholomæus Merclinus.
M.D. ibidem.

S. P.

Literas tuas, Clarissime D. D. Amice honorande, nuper ad me datas, rectè accepi, quas ut & priores gratissimas fuisse scias, eò magis, cum descriptionem Pilu-

larum tuarum Marocostinarum inclusam haberent, quam elaboratiss. & multis nominibus perfectissimas video. Scis, quid Regius Medicus, Iosephus Quercetanus, Pilulis suis de Ammoniaco, in Pharmacop. Restit. fol. 120. tribuat, quantum sibi in earundem usu polliceatur, nec forsan abs re, cùm à D. Revierio Primario Regis Galliæ Medico, harum notitiam habuerit: tuas verò ad trutinam Medicam delatas, non minorem, sed potiorem hisce laudem demereri, certo certius mihi persuadeo, ut nec harum excellentes vires atque virtutes pro merito satis prædicare queam; potissimùm in tartareis & fæculentis corporis nostri affectibus, à crassiore tenacioreq; pituita & Melancholia terrea causatis, Medicis vel prospectissimis mille labores creatibus, horum verum & firmum arietem Pilulas tuas Marocostinas habeo, & iudico;

inci-

*incidendo simul abstergendo, educendo, mo-
diceq́; confirmando, tutissimas benignissi-
masq́; adeò ut iure divinā, tutam & fami-
liarem medicinam, illas nominare liceat.*

*Sunc hocce nostrô sæculo multa morbo-
rum miscellanea, & mixturæ molestissima,
ex mala victus ratione, helluonibus potis-
simùm & bibaculis familiares, vel ex iner-
ti contractæ otio, vel intempestivo lucubra-
tionum causatæ usu, que plerumque Me-
dici manum quamvis indefessam adeò de-
fatigare solent, ut tandem Natura miseræ
post infinitos exantlatos labores hisce suc-
cumbere cogatur. In quibus quid Pilulæ tuæ
possint; ingredientium censura facilè pro-
nunciabit. Iusta quippe materia collecta &
tuo moderamine disposita, eam nobis exhi-
bebit formam, qua tartaream, crassiorem,
tenaciorem & impactiorem quamvis ma-
teriam eccoprotica manu abstergere, per epi-*

crasin educere, hinc quibusvis corporis obstructionibus ansam amputare, cardiognos, cardialgias, stomachi ventositates, cachexias, hydropes, febres, spurias & erroneas, Duplicatas & triplicatas, aliaq; infinita mala, & morbos Chronicos cunctos fermè, ex Nutritoriarum tenore refracto, & saburra hinc emergente quàm molestissima progignendos, infringere, & felici manu avertere poterunt, adeò ut omnibus Antiquorum Hierris, omnibus Medicamentis stomachicis, sine Cura, Benignis, Benedictis, & Familiaribus, optimo iure praeferam.

Marcus wolffard.
Med.& Phys. Biberacensis.

Anonymi & amici

Ad Aloëdarij hujus Authorem.

O Mne tulit punctum qui miscuit utile dulci,
Cælestis medicus quod facit, hocce facis.
Dum Marocostinis arces à corpore morbos,
Quis Raymunde *homini te neget esse* Deum?

Ad Zoilum, ejusdem.

C Vr Marocostinum tibi Zoile displicet istud?
Dicam. Plus ALOËS *quàm tibi* MELLIS *inest.*

INDEX.

IN ALOEDARIVM MAROCOSTINVM.

Costus.

D.

Fœniculum.

Liquor.

Marocostinæ Pilulæ.

Medicamenta.

Mucharum Rosarum.

Myrrha.

Myr-

Myr-



RAYMVNDI MINDERERI MEDICINÆ DOCTORIS SERENISSIMI Bavariæ Ducis, nunc Electoris, olim Consiliarij & Medici nec non Reipub. Augustanæ Physici jurati. p. m.

DISPENSATORIVM PARticulare, in quo compositiones Medicæ Magistrales continentur. Quibus autor plurimis profuit: Boni publici igitur Aloëdario annexa, & in lucem data.



Anno M. DC. XXIII.

S. L.

Vendibili vino sapiens nemo suspendet hederam. Quod enim omnibus ipsum se probat, non anhelat laudes emendicatas. Aloëdarium hoc pauca sua dosi & magna energia iam magnatum familiaritatem occupavit, quod livor ullus vix eliminabit. Prisca ætas ALOEN *in pretio habuit, ea cadavera à corruptione, humores in vivis à putredine vindicans: cum detersorium stomachi aptum à crassis & viscidis humoribus incrustati: illuviem intestinorum & mesenterij, cloácæ corporis humani, optimè eluens. Frequens igitur eius & commodus usus à maioribus inculcabatur: amarus ingratusq; sapor formam pilularem docuit. Hinc Pilulæ ex Aloë Avicennæ & Ruffi Pestilentes prodiere: ijs putredines contagiosas eliminare conantes:* ALOE *item Rosata & Lota, qua alvus pigra excitatur, stomachus roboratur, & ab humoribus no-*

xijs

xiis vacanti ei conceditur. Secuti Priſcorum artes Neoterici, (Dies enim docet, & hora opera numinis & Naturæ enarrat horæ) etiam ſua ALOEDARIA parturiere. Cum enim ſedentaria vita, amica & familiaris quaſi omnium ſtudioſorum, in meſenterio, ubi pars animæ brutæ tanquam ad præſepe ligata eſt, multas ſordes colligat, cum calor otio ſopitus: nec negotio excitatus, pigrior in conficiendo cibo ſit: ſolers Medicorum ſtudium familiare & benignum huius haſtis expellens è foro Medico, Aloën nempe, prodire voluit. Apollo igitur Muſis adaptari videns, noluit ſine artificio eam naſci. Quare & Balſamus Aloëticus prodiit, & Aloes pro temperamento hominum, Anni, Regionumq́ lavabatur, quæ Lotio nunc & ritè quidem inſuccatio dicitur. Sic Venetis & Francofurtanis Angelicæ pilulæ familiares ſunt; Dedit & Quercetanus ſuum Balſamum Aloeticum, & inſuccatas pilulas ex ſucco florum prunorum tùm domeſticorum, tùm ſylveſtrium: Mindererus noſter Marocoſtinas, & Felix Platterus in ſua praxi plures ſimiles præſcribit.

scribit. Rapuit hoc ad se Beneficium ætas & natura voracior, Peresiæ & Bibesiæ DEÆ innoxiè litare ut libeat ac liceat: nolunt ijs carere Mercatores domi, nec in itinere, non in otio, nec negotio: itaq; pilulas hic laudat suas Angelicas, quas Mœno adiacens Emporiū dedit, extollit ille, quas Adriaticus leo protulit: vel domi has secum fovēt, vel cum ipsis peregrinari volunt: cœna & prandij prodromi futuri, alvus ne lassa ipsis fastidium, aut ingesta varia laborem faciant. Illarum descriptio adhuc in Harpocratis sacello reservatur recondita: Oedipi quidam Aloëm à rore Maiali vigorem asciscere, quo etiam Genuenses Rosarum paidarum cōservas purgantes solent, facere alij lavari succo florum persicorum, aut florum prunorum domesticorum vel sylvestrium, qui frequentiores ad Mœnum sunt, augurantur.

Venetorum, quæ frequentiores Augustanis sunt, descriptio à quodam Mercatore Venetijs degenti, sed Cive nostro: D. Rumlero p. m. Italicè data fuit, quod, ut servatur in Augustana officina, Commodi publici causa subiungimus.

A-

ALOE INSVCCATA sive Pilulæ Angelicæ Venetorum.

℞ Aloëm ſuccoteram ſubtiliſſimè pulveriſatam uncias ſex, & lava vicibus tribus in vino albo tenui, ita ut ſingulis vicibus vinum abſumatur, & fiat in ſole dura, in vaſe benè vitreato, move ſæpiùs in die, ita ut rurſus in pulverem redigi poſſit; lauabitur autem ter modo ſupra dicto in vino, ultimò pulveriſata à novo immergatur ſeu inſuccabitur in infra ſcriptis ſuccis; ſinguli autem ſeparata ſuperfundantur, ita ut ex humectatione ſingulorum ſuccorum reduci in pulverem poſſit, ut & ſupra dictum eſt. Succi verò hi ſunt.

℞ Succi cichoreæ
Boraginis
Bugloſſæ.
Lupuli.
Fumariæ.
Roſarum.
} ana quantum ſufficit pro imbibone ſupradicti pulveris.

Poſt-

Posthæc, ℞. Rhabarbari electi minutim incisi unciam semis, & infunde in vino albo & aqua Endiviæ, & Rosarum ana quantum sufficit, ad madefactionem supra dicti pulveris: stet dictum Rhabarbarum in infuso per horas viginti quatuor, postea exprime fortiter & cum dicta colatura madefac Aloë, ut optimè inebrietur & imbibat, permitte postea ut sic in sole stet, miscendo sæpius, adde agarici trochiscati ʒj ß.

Cinamomi optimi ʒ j.

Nucis moschatæ drachma una.

Misce & fiat Massa, ex qua Pilulæ. Quarum Dosi scrupulus unus in duo.

Ex Italico Idiomate in Latium traductam habes, Amice Lector, harum Pilularum descriptionem; asservatur illa in officina aliqua nostrarum sic descripta, non à Mindereri nostri remotior, magis v. purgabit Quercetani, quæ Panchymagogi nomine in sua Pharmacopœa restituta venit, quum fortiora purgantia habeat; nec aliena videtur Aloës præparatio, à nostra, quam Quer-

Quercetanus in Consilio de Arthritide & Calculo, item in Consilio pro Cachectica virgine, ubi imbuit aloën succis florum prunorum domesticorum & sylvestrium, vel succo florum persicorum, habet. Sed prudens lector & dexter artifex pro sua praxi & ingenio tales vel similes pilulas inveniet & componet. Mirandum certè aloen in succatũ in parvo quanto maioris esse efficaciæ, quàm in magno; quod & Heurnius de simpliciter lota clarè testatur. Prodit autem hoc Aloëdarium iterum in lucẽ, Publicæ utilitatis igitur. Cum .n. priora exemplaria penitus distracta essent, Aloëdarij verò hujus avidus usus; noluimus nostra causa hunc in foro medico fœtum desiderari. Ne autẽ solum prodiret, alios autoris partus subjunximus. Animato eo autoris verbo, quo sua arcana tempore hoc bellifrugo velit omnibus esse in rapinam, quodquè per hos fœtus, quamvis cælebs, posteritati se victurum dixerit. Fuit certè Raymundus vester in inveniendis medica-
mentis

mentis solers & ingeniosus, in adplicandis dexter & felix, habuitque medicamenta purgantia benigniora, sibi quasi obsequentia, ita ut fortiora, diagridiata, & quæ coloquinthidem habuere, quasi neglexerit. Ideoq; hanc sortē & fortunam secutus multa eaq; utilia peperit medicamenta, ex sublimi & judicio prægnanti suo ingenio, quibus deinde fœcunda & fœlix subscripsit praxis. Quæ cum in suis editis hinc inde sparsa essent, aut adhuc in officinis nostris recōdita, noluimus eis vos privare, sed huic Aloëdario adnectere: ut sit instar peculiaris alicujus Dispensatorij Raymundi vestri, in quo syrupi, species, extracta, aquæ, olea, balsamus, unguenta, Emplastra, pulveres non sine artificio inventa & composita inveniri possunt. Ex eo & alterare & purgare; aperire obstructiones, & educere, discutere, & confortare, illinire, counire; licet. Vivit igitur & vivet in suis laboribus, qui modò vixit, Mindererus: sustētatur dextro suo ingenio; Evolat libris in sarcophago

recon-

reconditus. Fruimini itaque amici vestri bonis; anheli ad viri fratris vestri hæreditatem currite; hilari animo vobis quod datur, & ad plausu amico arripite. Nec cum defuncto Raymundo vestro animum ac studium benefaciendi proficiendique cunctis emortuum esse credite. Valete.

Philippus Höchstetterus Augustanus Medicinæ Doctor.

RAYMVNDI MINDERERI PHARMACOPOEA SPECIALIS.

I.

SYRVPVS APERITIVVS Magistralis.

℞ Succorum depuratorum radicum.
Cichorij.
Pimpinellæ ana libram unam.

Fu-

Fumariæ Lupuli ana uncias ſex.
Petroſelini.
Fœniculi ana uncias tres,
Rad. Apij.
Enulæ.
Aſparagi.
Eringij.
Vincetoxici ana uncias duas.
Herbarum Agrimoniæ
S.Kunegundis ſeu Eupatorij
Avicennæ.
Agerati ana manipulum unum.
Foliorum Cuſccutæ.
Ceterach.
Adianti utriuſque.
Cardui benedicti.
Comarum Abſinthij Pontici ana Manipulum ſemis.
Florum Centaurei minoris manipulum ſemis.
Granorum Alkakengi unciam unam.
Aquæ Fontanæ libras ſex.
Aceti ſquillitici libras duas,

Arida

Arida omnia ex prædictis sex libris aquæ coque usque dum supersint libræ duæ, has transcola diligenter, & cum succis & aceto squillitico additis sacchari albi libras tres semis; coque in Syrupum justæ consistentiæ.

Omnibus omninò iecoris, Mesenterij, hepatis ac venarum mesaraicarum obstructionibus salutaris est, diuturnis febribus, & ex eis natis cachexiis ac hydropi prodest. Acui eius vis potest spiritu vel oleo calcanthi, porriguntur cochlearia tria paulò ante ientaculum, prandium, cœnam. Describitur in libro de calacantho c. 9.

II.

SYRUPUS LAXATIVUS Familiaris.

℞. Pulpæ tamarIndorum uncias duas.
Jujubarum.
Sebesten ana Numero viginti.
Prunorum Damascenorum.
Caricarum pinguium ana numero decē.

Q Hordei

Hordei integri, seu non excorticati manip. semis.
Polypodij quercini uncias quatuor sem.
Seminis Fœniculi drachmas duas.
Decoquantur simul omnia in aquæ fontanæ libris septem, ad remanentiam librarum quinque, quibus post colaturam, quæ adhuc caleat, infunde.
Foliorum senæ elect. uncias duas.
Agarici trochiscati.
Rhabarbari optimi ana drachmas tres.
Stent in infusione per noctem, deinde colentur, leviter expressa: colaturæ huic adde.
Mannæ calabrinæ.
Mellis rosati laxativi ana uncias octo.
Sacchari Tarbazet, vel albissimi, uncias sedecim.
Coquantur in syrupum, qui aromatisetur, ex cinamomi acutissimi drachmis duabus, macis scrupulis duobus; Reponantur ad usum.
Salutare & efficax remedium ad primas ventris vias expurgandum. Describitur lib. de Calcantho cap. 9.

S Y-

III.

SYRVPVS ROSATVS LAXATIVVS CVM *Ambubeia.*

℞. Radicum cichorij recentium & mundatarum, libras duas.
Herbarum Fumariæ recentium manipulos sex.

Infundantur horis duodecim in libris sex Muchari perfecti, seu infusionis rosarum laxativæ: postea colentur & exprimantur. Colatura post hinc cum sacchari libris tribus coquatur in syrupum, cui ad justam consistentiam ferè percocto, in panno raro linteo immittantur, ac post perfectam coctionem in ea pendula permaneant sequentia, utpote

Spec. diatrion santalon, drachma una.
Specierum diarrhodon abbatis drachma semis.

Fiat syrupus ut artis est.

Utramq; bilem ac serosos humores blandè

evacuat, ſalſos itidẽ ichores leniter educit, ac putres emendat, undè aduſtum ſanguinẽ corrigit, ac jecori obſtructo opitulatur. Icterum ac tertianas ſanat, & venarum meſaraicarum opilationes expedit.

Deſcribitur in Diſpenſatorio Auguſtano.

I V.

SYRVPVS DIAPHORETICUS Antitoxicus.

℞. Succi Limonum.
Scordij.
Calendulæ.
Acetoſæ.
Cardui benedicti.
Pimpinellæ ana libram unam.
Aceti de Rubo Idæo.
Sambucini.
Roſacei.
Rutacei ana uncias tres.
In ſuccis & liquoribus infunde,
Radicis Angelicæ.
Zedoariæ.

Peta-

Petasitidis.
Fraxinellæ seu Diptamni albi.
Tormentillæ,
Scorzoneræ ana unciam semis.
Corticis Citri,
Seminis eiusdem ana drachmas tres.

Stet in infusione per horas viginti quatuor loco mediocriter calente, tandem coletur & cum sufficienti quantitate sacchari, seu libris quatuor coquantur in syrupum, qui sub finem aromaticetur cum

Santali citrini drachmis duabus.
Macis. (ci scrupulo semis.
Cinamomi ana scrupulis duobus, & cro-
Galliæ Moschatæ veræ scrupulo uno.

Ligentur hæc in nodulo, & cum Syrupus ad justam consistentiam percoctus fuerit, tùm demum inijciantur, in quo pendula permaneant.

Antitoxicus hic syrupus in febre maligna ab autore usurpatus fuit, ut sudorem eo moveat, malignitatem expellat, itaq; cum aquis convenientibus exhibuit, ut videre

est in Appendice ad librum de peste; quamvis paulò aliter in ipso lib. C.15. describatur, quod subjungo.

℞. Succi Acetosæ.
Limonum ana libram j.
Cardui benedicti.
Pimpinellæ è radicibus.
Calendulæ.
Scordij.
Rutæ.
Verbenæ.

(Hos tres succos prior descriptio non habet.)

Nucum juglandium immaturarum, vel corticum earundem in diebus canicularibus decerptarum ana uncias quatuor.
Aceti sambucini. uncias octo.

In succis & liquoribus infundantur per biduum.

Radicis Angelicæ uncias quatuor.
Zedoariæ.
Corticum Citri ana Unciam unam & semis.
Seminis Citri drachmas sex.

Stent

Stent ſic ſimul in infuſione loco quieto, ut quę craſſæ fæces ſuccis inſunt reſideant, exinde liquor purus à ſordibus in fundo relictis ſeparetur, & hoc facto diligenter percoletur, & cum ſufficienti quantitate ſacchari coquatur in ſyrupum, qui ſub finem aromatiſetur, Ex

Santali citrini drachmis duabus.
Macis ſcrupulo uno.
Croci, ſcrupulo ſemis.

Ligentur hæc in nodulo & inter coquendum cum prædictis ſub finem ferveant. Dantur unciæ duæ, cum aqua acetóſæ, Cardui benedicti, vel Pardanæ compoſita.

V.

EXTRACTVM DIAPOENIAS.

℞. Radicum & ſeminum pœoniæ excorticatorum ana unciam ſemis.
Oſtrutij.
Enulæ.
Zedoariæ. ana drachmas duas.

Diptamni albi.
Calami aromatici.
Corticum citri ana drachmam unam & semis.
Seminis dauci cretici, drachmam unam & semis.
Apij, drachmam unam.
Nucis moschatæ.
Radicis Doronici, ana drachmā unam.
Castorei, drachmam unam.
Specierum Diambræ incompletarum, scrupulos duos.
Foliorum Rutæ siccorum.
Melissæ hortensis ana manipulum semis.
Florum Liliorum convallium, pugillos duos.
Visci quercini, drachmam unam & semis.
Ungulæ calcis, scrupulos duos:
Spiritus vini quantū sufficit. Infundātur per triduum vel quatriduum vase vitreo probè clauso, & stent simul in infusione loco calente, postea colentur, sed sine forti expressione,

ſione, poſtmodũ in Balneo Maris leni igne extilletur, uſq; dum extracti ſpiſſitudo juſtæ conſiſtentiæ in fundo reſideat, quæ in pilulas effingi poſſint.

Doſis ℈j. ad ℈ij.

Valet in adfectibus uterinis & cerebri, maximè ſi hi complicati ſunt, ut ſunt Epilepſia ex utero, item in frigidis capitis morbis, quæ ſopores, Catalepſin, Epilepſiam & apoplexiam cauſant. Item in ſuffocatione uterina, vertigine ex utero &c.

V I.

PULVIS ANALEPTIcus Calidus.

℞. Caſſiæ ligneæ veræ.
Coſti veri.
Mari veri.
Ligni aloës optimi.
Succini albi præparati.
Maceris.
Cubebarum.
Doronici veri ana ſcrupulum unum ſemis.

Ambræ griſeæ, ſcrupulum unum.
Moſchi orientalis, ſcrupulum ſemis.
Tabularum de extracto Xyloaloes, unciam unam & ſemis.
Manus Chriſti perlatæ cum oleo cinamomi drachmas ſex.
Olei cinamomi, guttas quinque.
Foliorum auri, Numero ſeptendecim.
Fol. argenti, num. duo.
Miſce fiat pulvis ad uſum.

VII.

PVLVIS ANALEPTIcus Frigidus.

℞. Specierum cordialium temperatarum drachmas duas.
De Gemmis frigidis, drachmam unam.
Ambræ griſeæ veræ, ſcrupulum unum.
Moſchi orientalis, grana quinque.
Spiritus roſarum, guttas ſexagint.
Folia auri fini, numero duodecim.
Argénti, num. tria.
Tabularum manus Chriſti ſimplicium, uncias tres.

Miſce

Misce fiat pulvis ad usum.

VIII.

PVLVIS RVBEVS ANAlepticus.

℞. Cassiæ ligneæ veræ,
Costi veri,
Mari veri.
Ligni aloes optimi.
Succini albi præparati.
Maceris.
Cubebarum.
Doronici veri, ana scrupulum unum.
Ambræ griseæ veræ, scrupulum unum.
Moschi orientalis, scrupulum semis.
Seminis amomi veri, drachma una.
Balaustiorum, drachma una.
Tab. Manus Christi perlat. ex oleo cinamomi, unciam unam.
De extracto Xyloaloes unciam unam, drachmas sex.
Olei cinamomi, guttas quinque.
Spiritus rosarum, guttam unam.

Foliorum Auri, numero viginti.
Argenti, numero tres.
Misce fiat pulvis pro usu.

SYNOPSIS TRIVM PVLverum Analepticorum vires ac facultates comprehendens.

TRini hi pulveres Analeptici seu resumptivi, ex una eademq; familia oriundi, ijsdemq; dotibus præditi, ac in ejusdem finem directi, utpote consimilibus planè indicationibus servituri, haud quaquam genere, sed specie solummodò, imò ferè individui tantum ratione inter se differũt, licèt formâ nonnihil sint diversi, & intensione vel remissione activarum qualitatum nonnihil discrepantes. Haud enim docuit unam eandemque medicinam quovis anni tempore indiscriminatim porrigere, sed eam ex Dogmaticorum & rationabilium Medicorum præceptis subindè pro occasionum alternationibus mutatim variare. Unde

Unde pulvis Calidus, solstitio hyberno ac frigidis mensibus, Novembri nimirũ, Decembri, Januario ac Februario debetur. Econtra Frigidus, æstivum sibi solstitium, unà cum fervidioribus temporum constitutionibus, per Majum, Junium, Julium & Augustum vendicat. Tertius inter hos medius Rubeus scilicet, qualitatibus omnibus planè temperatus, circa utrumq; æquinoctium, ac mensibus medio modo se habentibus, per Martium nimirum & Aprilem, Septembrem quoque ac Octobrem, commodissimè usurpatur (quamvis sub omni cœli & auræ constitutione, utpote temperatus toto anno cum fructu exhiberi queat) ac si unus altero pro tempore sibi mutuo succedentium vicissitudine subrogatur, ut cuncti suis temporibus accommodati promptius ac felicius ea præstent, quæ hucusque præstare visi sunt, easq; vires exerant, quæ ab eorum usu sperantur & expetuntur.

Ob plurimam verò virium quas possi-

dent præstantiam dicti jam pulveres Analeptici diversis corporis humani partibus serviunt, calido innato ac humido radicali conservando adprimè idonei.

Præ cæteris autem jucundo, securo ac delicato planè juvamine, ac manifesto remedij adparatu cunctas universi corporis vires firmant, ac fulciunt. Unde syncopas ac animi deliquia quævis, sive ea ex corde vel ore ventriculi aut ex haustione, dissipatione, vel internecione ac defectu spirituũ originem duxerint, persanant, & antequam eveniant antevertunt ac præcavent, spiritus enim, cum animales tum vitales, quavis causa attritos, reficiunt, emortuos regenerant, languidos instaurant, labascentes erigunt, perfractos reparant, ac defectos reponunt. Morbos præterea gravissimos, Apoplexiam, Epilepsiam, ac Paralysin divertunt, ac homines ab eorum insultu præservant. Vertigini porrò præ cæteris succurrunt, ac Cerebri turbulentos motus componunt, sensusque vigorant. Inge-

nio-

niosis proindè, meditabundis, Philosophiæ ac graviora studia affectantibus, quibus alti cogitatus, ac labores animi vires enervant, aut curarum tædia fastidio sunt, maximoperè salutares.

Pravis insuper vaporibus capiti bellum inferre solitis viam intercludunt. Memoriam insigni stabilimento fulciunt, intellectum confirmant, sensibus suspensos adjuvant, recreantq; eos, quos mens deliquit, cordis enim vires insigniter augent, easq; præsertim in senibus ac decrepitis, vel ad perfectam ætatem adspirantibus tutantur ac restituunt, quorum vires ac valetudinem sartam custodiunt, aut si quid mancum apparet, idipsum redintegrant, eaque omnia præstant, quæ ad roboris vitalis ac animalis tutelam requiruntur, omni ætati ac sexui, imò & gravidis (si modò eorundem redolentiam ferant) familiares & innoxij, quibus vel ipsi infantes tutissimè uti possunt.

Sumuntur autem vel manè vel serò, vel bina

bina vice, ſine diſcrimine, vel abſq; victus obſervantia, aut alia aliqua cuſtodia ſingulari, ſi non quotidiè, ſemel ſaltem vel bis in hebdomate, ea quantitate, quæ comparationem facienti ovo ſaliendo ſufficere poſſet, pondere circiter ſcrupuli dimidij, aut paulò pluris, ijsq; ſicci ore diu detenti, ſenſim liquantur, quo eorum excellens fragrantia cerebri meatus ſubeat ac permeet, nulli unquam tædium latura, & quod effectus monſtrat mira quadam virtute, ſi veſperi poſt paſtum, horum pulverum portio aliqua abſumpta fuerit, vis eorum in alteram diem translata perennat.

Præſtant autem hæc omnia efficaciùs, ſi corpora à cruditatibus & humoribus obvijs repurgatæ fuerint, præſertim ſi præter horum uſum Aloëticæ pilulæ, aut Medicamentum noſtrum Marocoſtinum præcedenti tractatu deſcriptum crebrius in familiarem uſum ducatur.

Deus Optimus Maximus qui hæc Medicamenta Magnatibus ſimul ac plebeis

jam

jam dudum chara huc usque benedixit, eorundem quoq; virtutem in posterum fovere dignetur, ut per opera manuum suarum ipse summus rerum omnium conditor, à quo bona cuncta permanarunt, benedicatur, cui honor & gloria in secula,

I X.

PVLVIS ALEXIPHARmacus Cordialis.

℞. Summitatum cornu cervi usti & præparati (m.s.ʒij.)
Boliarmeni orientalis præp.
Terræ sigillatæ.ana drach.duas. (m,s.ʒj.s.)
Margaritarum præparatarum,
Ligni aloës.
Corticis Citri
Seminis ejusdem.
Acerosæ, ana drach.unam.
Basiliconis, scrupulos duos.
Radicis Angelicæ,
Zedoariæ,
Doronici,
Scorzoneræ,

Tor-

Tormentillæ,
Diptamni albi,
Corallorum rubrorum præparatorum, ana scrupulos quatuor.
Santalini Citrini, drachma una & semis.
Rosarum rubrarum, scrupulos duos.
Cinamomi acutissimi, scrupulum unum semis.
Macis.
Serici crudi tosti.
Lapidum quinq; prætiosorum, ana scrupulos duos.
Croci orientalis. (m.s.℈j.)
Succini albi præparati,
Moschi, ana scrupulum semis,
Ambræ, scrupulum unum.
Foliorum Auri fini, numero duodecim. (m.s.n.vij.)
Argenti n. quatuor. (m.s.n.iij.)
Misce, fiat pulvis.

Valet hic pulvis non in curatione tantum, verùm etiam in præservatione Febriũ malignarum, estque analepticus, seu resumptivus in ęgrorum in integrum restitutione.

tione. Æmulans ſpecierum liberantis, Peſti igitur adverſabitur, contagioſis, malignis morbis & venenis.

Deſcribitur in adpendice ad lib. de Peſte autoris.

X.

AQVA THERIACALIS
Bezoartica ſeu
CHYLOSTAGMA DIAPHOreticum.

℞. Succorum nucum juglandium immaturarum,
Limonum,
Acetoſæ,
Pimpinellæ, ana libram unam ſemis.
Cardui benedicti,
Scordij noſtratis,
Rutæ, ana libram unam,
Scabioſæ,
Hederæ terreſtris,
Calendulæ,
Melyſſæ hortenſis odoratæ, ana vncias octo,

Che-

Chelidoniæ,
Galegæ,
Aceti de Rubo Idæo,
Sambucini,
Rosati, ana uncias quatuor,
Rutacei, libra una,
Radicum Tormentillæ,
Gentianæ,
Diptamni albi ana, uncias duas.
Vincetoxici,
Carlinæ, ana uncias duas semis,
Petasitidis,
Ostrutij,
Angelicæ,
Zedoariæ,
Cort: Citri ana uncias tres,
Boletorum Cervinorum, uncias duas.
Fol. Diptamni cretici,
Scordij cretici,
Chamædrios, ana unciam unam,
Santali citrini, drachmas tres,
Ligni rhodij pulverisati, drachmas duas.
Theriacæ Andromachi, uncias duas,
Mithridatij Damocratis, unciã unã, Bac-

Baccarum Juniperi recentis, libram unam.
Corticis medij sambuci recentis,
Fraxini recentis, ana Manipulos tres.

Cortices sambuci & fraxini, una cum baccis Juniperi contundantur in mortario vehementer, & extrahatur inde succus cũ sufficienti quantitate aceti de floribus Tunicæ, aqua pimpinellæ, & rosarum, sumẽdo singulorum partes æquales. Hic expressus succus permisceatur cum succis & liquoribus supra commemoratis, diluaturq; in his Theriaca & Mithridatium. Tandem verò cætera incisa & contusa, in succis & liquoribus jam dictis infundantur, atque ijs sic triduo spatio immacerentur, postmodum lento roridi balnei calore per destillationem liquor evocetur, in cujus medietate suspendatur Camphoræ in nodulo serico ligatę, drachma una, altera medietas pro ijs, qui camphoram non ferunt, seorsim reservetur.

Notandum autem ubi Galegæ & scordij succus defuerit, possę in illorum locum decoctum

coctum earum herbarum duplum, id est, tanto fortius paratum, aut verbenæ, aut veronicæ succum substitui.

Valenter hæc aqua sudorem pellit, venenatamque omnem materiam à centro ad circumferentiam corporis expellens disijcit, sua subtilatate corpus undiquaq; pervadens, arcensque putredines. Unde peste correptos adjuvat, febribus malignis adversatur, morbos contagiosos strenuè oppugnat, exanthemata, maculas pulicares, seu Petechias, variolas ac morbillos excludit*.

Datur ejus potio aliqua cum syrupo Acredinis citri aut Limonum, vel cum succo acetosellæ, additis speciebus liberantis, aut cordialia aliqua alia Antidoto, corpore ab ejus usu ad sudorem composito.

Describitur in lib. de peste, c. 15. & in Dispensatorio AVGVSTANO.

X I.

AQVA SVDORIFERA.

℞. Succorum Lupuli.

Fu-

Fumariæ.
Cichorij.
Pimpinellæ.
Acetosæ.
Cardui benedicti.
Limonum ana libram unam.
Veronicæ.
Bethonicæ.
Calendulæ ana uncias sex.
Aceti Sambucini uncias sex.
In succis & his liquoribus infunde per biduum (unam.
Ligni Guaiacis in scobem redacti, libram
Sarsæ pariliæ, uncias sex.
Radicis chynæ, uncias tres.
Diptamni Cretici, Manip. unum.
Scordij nostratis, manip. tres.
Post macerationem jam dictam destilletur in B.M. ac destillatum reservetur.
Sudorē optimè provocat sanguinēm ũdat: ideoq; in istis contaginosis morbis, quorũ fomes sudoribus oppugnatur, proderit; sive jam quid malignitatis habeat, sive corru-

ruptionis in sanguinis massa. Ut sunt febres petechiales, pestiferæ, Gallica infectio, scabies, impetigo, vitiligo. &c.

XII.

AQVA SPECIALIS Fortificans.

℞. Spiritus Euphrasiæ primæ destillationis, uncias tres.
Aquæ Epilepticæ Langij.
Elixire vitæ Matthioli, ana unciam unã.
Essentiæ rorismarini, unciam semis.
Corporis ambræ, scrupulum unum.
Moschi orientalis, grana quatuor.
Syrupi de Cinamomo, unciam unam & semis.
Præparetur, lege artis.

Cæphalica aqua est, imò etiam cardiaca; in omni vertigine, & debilitate capitis à frigore conducens, senibus & mulieribus, quibus uterus quietus, utilis est. Ab apoplexia præservat, scototomiam propulsat, maximè quæ ventriculi vitio fit, catochen & soporiferos adfectus tollit.

Spi-

XIII.

SPIRITVS EVPHRASIÆ.

℞. Spiritus cerasorum nigrorum, libram unam.
Aquæ hirundinum compositæ majoris, uncias sex.
Doronici veri.
Cassiæ ligneæ veræ.
Amomi veri.
Radicis Valerianæ.
Chelidoniæ, ana drachmas duas.
Mari veri.
Fol. Rutæ, ana drachmam unam.
Florum Euphrasiæ selectissimorum siccorum, unciam unam semis vel recentium quantum potest infundi.

Infundantur per noctem in liquoribus his benè perlutatis, manè per Balneum Mariæ destillentur leni igne, iste spiritus reservetur in vitro.

Visionem reparat hic spiritus sumptus, quum spiritus visivos reficiat, cerebri frigiditatem corrigat, spiritus in eo mundet, &

R clari-

clarificet, in ſcotomia, & vertigine optimè proficiens. Magnati in ſumma viſus debilitate convenietiſſimus fuit. Cerebri etiam ab humore frigido morbis adprimè utilis.

XIV.

ESSENTIA AMBRÆ.

℞. Aquæ Aureæ compoſitæ ex ambra & moſcho, uncias duas.
Epilepticæ Langij, unciam unam.
Eſſentiæ Roriſmarini, unciam ſemis.
Ambræ veræ, ſcrupulum unum.
Moſchi orientalis, grana quatuor.
Fiat infuſio per aliquot dies, deinde coletur per chartam, ſervetur in uſum.

Præſtans hoc & Illuſtre remedium animam & ſpiritus animales reficit in Capite, in omnibusque organis animalis facultatis, itaut in vertigine, ſcotomia, caligine oculorum, capitis frigidis adfectibus excellentiſſimũ ſit. Natum pro illuſtri perſona medicamentum non ſine ingentiſſimo fructu.

DE-

XV.

DESTILLATUM PRO *Auditu.*

℞ Herbarum, Rorismarini.
Majoranæ.
Salviæ hortensis,
Lavendulæ,
Rutæ.
Origani.
Polij Montani.
Florum sambuci, ana Pugillum unum.
Spicæ Rom, Pug. semis.
Baccarum Lauri
Iuniperi, ana drachmas duas,
Radicis ireos Illiricæ,
Ciperi rotundi.
Valerianæ.
Levistici.
Ciclaminis, ana drach. unam semis.
Pyrethri, drachmam unam.
Bryoniæ,
Cucumeris asinini.
Coloquinthidis, ana scrupul. duos.

Seminis fœniculi.
Castorei, ana drachmam unam semis.
Decoque in uncijs octo urinæ capræ.
Aceti squillitici.
Rutacei, ana uncias duas.

Vase duplici clauso ad medias: residuum colетur, deinde repetatur medietas jam dictorum simplicium, his decoctum hoc denuo adfundatur, iterũ recentibus addendo.

Succi raphani.
Cæparum sub cineribus coctarum ana unciam unam semis.
Galbani, in uncia una & semis.
Aquæ vitæ Langij dissoluti drachmas duas.

Emulsionis nucleorum persicorum addita s.rutæ ℥ß. s.raphani ℥ß. cum spiritu juniperi præparati, uncias duas. Destilla lento igne in Balneo, destillatum reservetur, addendo spiritus rosarum drachma una; ad vitrum.

Titulus inter medicamenta acoistica, eaque externa posuit, quo etiam dirigi præmissis universalibus potest. O-

XVI.

OLEUM LYCONIUM seu Aranearum.

℞. Olei Nympheæ uncias octo.
Rosati.
Lumbricorum terrestrium:
Hypericonis, ana uncias duas.
Amygdalarũ amararum uncias duas.
Foliorum rutæ recentium.
Florum Sambuci recentium, ana manipulos duos.
Aceti Rosati:
Calendulæ, ana uncias tres de Rubo Idæo, uncias duas.
Aranearum pinguium & magnarum, numero quinquaginta:

Decoque simul omnia in vase duplici, ad aceti consumptionem, atq; absumpta omni ejus humiditate colentur, & leniter exprimantur. In hoc colato infunde rursus araneas pingues numero viginti quinque, ac adde Camphoræ in spiritu rosarum dis-

solutæ scrupulos duos, digerantur simul in Balneo rorido per horas viginti quatuor, postea sine colatura reponantur.

Poteris quoque oleo huic ante digestionem admiscere Theriacam aut Mithridatium Damocratis, drachmas tres vel quatuor plus minus tuo pro libitu ac opportunitatis vel casus exigentia.

Hoc oleo carpos cordisque regionem ac pulsus loca ad talos sita, veneni evocandi gratia inungere. Araneę enim, ut vulgus novit, specificum aliquid contra omnes febres in se continent Lib. de Pest. c. 16.

Est & alia autoris hujus olei descriptio, quæ minus composita est, & extat in Appendice ad librum autoris de Pestilentia, inque officinis Augustanis confecta fuit, cujus hæc sunt ingredientia.

℞. Olei Nymphеæ.

Lumbricorum terrestrium, ana uncias sex.

Hypericonis, uncias duas.

Florum Rutæ recentium & incisorum

Sam-

Sambuci recentium, ana manipulum unum ſemis.

Aceti Calendulæ,

Roſati, ana uncias tres.

Aranearum pinguium & magnorum, Numero quadraginta quinque. Decoq; ſimul omnia in vaſe duplici ad humilitatis, ſeu aceti conſumptionem, quo abſumpto colentur & leniter exprimantur.

In hoc colato infunde rurſus araneas pingues, Numero viginti quinque, ac adde, Camphoræ in ſpiritu roſarum diſſolutæ drachmam ſemis.

Digerantur per horas duodecim in Balneo Mariæ rorido ad formã balſami eſſenſificati vaſe probè munito, addẽdo Theriacæ & Mithridatij, ana unciam ſemis, atque poſt digeſtionem perfectam reponantur.

Proderit hoc oleum ad inunctionem octo corporis pulſus in propatulo ſiti, ad tẽpora ſc. circa carpos, & talos in febre maligna petechiali, quin & ipſius cordis regioni inungi poteſt. Siquidem venenum evocat,

nec febrilem accendit calorem. Voluit autor supplere eo vices olei scorpionum Matthioli, quod magno pretio venit, & simplicis, cum Germania, & quidem benè careat scorpionibus. Vide etiam librum autoris de Medicina militari.

XVII.

BALSAMVS VVLNERARIVS.

℞. Terebinthinæ Venetæ unciam unam semis.
Olei hypericonis, unciam unam.
Gummi Elemi seorsim dissoluti quantum ad consistentiam sufficit.
Olei ceræ destillatæ, scrupulos duos, misce.

In vulneribus recentibus, modoque inflictis ac adhuc calétibus singulare remedium est, maximè telis eo madidis impositus. Med. Mil. c. 9.

XVIII.

VNGVENTVM DE *Liquiritia.*

℞. Bu-

℞. Butyri recentis in aqua Rosarum & solani aliquoties loti libram unam.
Liquiritiæ recentis ac succulentæ, uncias quatuor.

Pistentur simul in mortario, posteaque frigantur in sartagine, colenturque & exprimantur, laborem hunc ter reassumpta semper nova liquiritia iterando; tandem Butyro sic præparato adde.

Pompholygis, drachmas duas.
Cerussæ mundissimæ uncias tres.
Albuminis ovi cõquassati unciam semis.
Camphoræ scrupulos duos.

Fiat secundum artem unguentum. Inflammationes partium insolentes, Erysipelata, sacros ignes, ac pustulas ab ichoribus sanguinis calidis, aut bile natas persanat, nec non manantibus ulceribus dolorificis à salsi seri acrimonia profectis eximiè confert.

XIX.

VNGVENTVM EX RHAMNO & Frangula.

R 5 ℞. Ra-

℞ Radicis ſcrophalariæ recẽtis, uncias duas.
Enulæ recentis.
Lapatij acuti recentis.
Chelidoniæ majoris.
recentis. ana unciam unam.
Corticis mediani Frangulæ Rhamni
ana recentium uncia una.
Butyri recentis uncias ſedecim.
Piſtentur ſimul fortiter, poſteaq; coque additis
Aceti rutæ, uncias quatuor.
Coq; ad aceti conſumptionẽ, poſtea colentur & fortiter exprimãtur, deinde adde.
Therebinthinæ venetæ, drachmas ſex.
Styracis liquidæ drachmas tres.
Vitellorum ovorum numero quatuor.
Salis nitri drachma una ſemis.
Sulphuris vivi drachma una
Aceti ſquillitici drachmas ſex.
Miſceatur omnium primò Therebinthina cum ſtirace & vitellis ovorum; poſtea additis reliquis omnia ſimul redigantur in unguen-

guentum agitatione s. a. facta paratum.

Ad cutis vitia ex scabie usus erit, tutius longè omnibus Mercuriaticis, diciq; verè potest unguentum ad scabiem compositum.

XX.

VNGVENTVM DECAMEron (idest, de decem succis) seu de PERSICARIA.

℞ Succorum sequentium depuratorum per residentiam & colatorum, utpote.

Succi persicariæ uncias sex.
Senecionis.
Nicotianæ.
Millefolij.
Lapatij acuti.
Geranij majoris.
Plantaginis.
Centaurei minoris.
Hyperici.
Chelidoniæ majoris ana unciam unam.

Butyri recentis, in quo liquiritiæ rasæ.
Radicum tormentillæ,
Symphyti.
Consolidævè majoris recentium.
& mundatarum ac incisarum ana uncia semis cocta fuerit, libra una.
Unguenti de Cynoglossa,
Olei Myrtini, ana uncias tres, Sevi Cervini, uncias duas.
Therebinthinæ venetæ, vel saltem vulgaris, unciæ quatuor.
Gummi elemi cùm prædicta Therebinthina seorsim dissoluti & colati unciam unam semis.
Coq; simul omnia ad succorum consumptionem excepta Therebinthina & Gummi Elemi, quæ cæteris priùs colatis, posteà in fine jungantur & redigantur in unguentum. Cui nonnihil ceræ prout consistentiam ejus habere volueris seorsim dissolutæ pro libitu addi poterit.
Valet ad ulcera quæ mali moris sunt & fœdi-

fœditate circumfusa, Gangrænas, purulentos sinus & cancrosa &c. Additur quandoq; ærugo, myrrha, aloës, alumen, aut quid simile pro adfectus ratione vel indigentia. Utile est unguentum hoc tum in curando. Medicin. Mil. c. 8. describitur item lib. de Pest. c. 18.

XXI.

EMPLASTRVM OPOTELdoch magnum Colchotarinum.

℞. Ceræ novæ mundissimæ, libram unam;
Therebinthinæ mundæ, vel si mavis
cypriæ aut venetæ uncias sex,
Gummi Elemi, uncias tres,
Olei hyperici,
Myrtini ana unciam semis,
Liquefiant simul omnia & postquam diffluxerint, adde ejus sequentia. Nempe.
Gummi Ammoniaci mundissimi,
Galbani,
Opoponacis, ana drach. tres,

Colophoniæ drachmas tres,
Mumiæ selectæ,
Succini albi pellucidi ana drachmas duas,
Olibani albi,
Masticħes purificatæ,
Sanguinis Draconis,
Sarcocollæ à recrementis purgatæ ana drachmam unam semis,
Aloës hepaticæ drachmam semis,
Mirrhæ drachmam unam,
Dissolvantur gummi in aceto, junganturq; simul commodè ac secundum artem, agitando singula, ac ubi fermè refrixerint, paulatim ac studiosè inijce
Lapidis Magnetis præparati drach. sex.
Croci Martis ex arte sine corrosivo concinnati unciam unam.
Tutiæ præparatæ unciam unam,
Lapidis Calaminaris præparati uncias quinque.
Lithargiri auri unciam unam,
Colcotharis indulcati seu terræ vitrioli mortuæ ac dulcificatæ unc. duas.

Re-

Redigantur lege artis in Emplaſtrum, quod frigefactum durefcat, ita ut diſſiliat. Qui mollius id habere optaverit, Therebinthinæ ac oleorum ſupra dictorum nonnihil adaugeat.

Notandum quoq; poſſe Emplaſtro huic ſuccum alhimillæ, ſymphyti, Veronicæ, Pyrolæ, ſaniculæ, conſolidæ mediæ ſeu ſarracenicæ, telephij, Nicotianæ, numulariæ, aut foliorum quercus adijci, ſua ſit cuique intentio libera.

Utile eſt ad vulnera recentia: ea enim protinus perſanat, ſpicula, tela, cuſpides, dummodo oſſibus fixi non hæreant, item q; crines, paleas, ac reſegmina, aut quæ vulneri inciderint, extrahit, ſymptomata vulneribus infenſa ac periculoſa ſi cito applicetur antevertit & præcavet, tumores ad fluxuſque humorum, qui cæſæ ac offenſæ parti incumbere ſolēt, reprimit, ac diſſolutam unitatem quanto ocyus jungit, conſolidat ac cicatrice claudit. Uſus etiam ejus eſt in ulceribus fœdis ac putridam ſaniem ſtil-

ſtillantibus; quum putredinem auferat, deſiccet, mundificet, & conſolidet, ac quod malignum in ulceribus eſt removeat, toxici vim à plagis illatam frangit. Deſcribitur lib. de Calcantho c. 7.

XXII.

MODVS PRÆPARANDI CREmorem Scammonij, ſive pulverem Syrium.

℞. Scammonij optimi quantum vis,
Spiritum vini rectificatum quantum ſufficit.

Macerentur ſimul in Alembico vitreato benè occluſo, loco calido, per aliquot dies, donec color & vis hujus omnis extrahatur: Extractum per chartam emporeticam coletur & colatum in vas aliud amplius effundetur, huic ſuperinfundendo aquam borraginis, quo facto, ut in circuitu vaſis inſtar cremoris coaguletur.

Hunc cremorem ſeu coagulum ſubtile, collige, exicca & pro uſu reſerva.

Uſus

Usus est loco Diagridij grosso modo præparati.

XXIII.

GUMMI GAMANDRÆ

Præparatio.

℞. Gummi hujus quantum volueris, dissolvatur probè

Spiritu vitrioli sufficiente, in vase vitreato, postea per Alembicum Spiritus omnis extrahatur: Gummi in vase residens exiccetur, cavendo tamen, ne nigrescat, sed colorem suum nativum reservet luteum: si dulcius reddi volueris, aqua pluviali semel atque iterum abluatur, donec acorem amittat.

Succus est Gummi hoc numero undecimus Caroli Clusij lib. exoticor. 4. cap. 8. quem sic describit. Succus potius concretus quàm resina est, qui ex sinarum regione adfertur, incolæ Ghittajemou adpellant, purus est, nullisque sordibus infectus, fulvi coloris & paululum salivâ vel aquâ tinctus prorsus flavo colore inficit, Incolę eo aque-

os

os humores ſine moleſtia evacuant. Doſis à quindecim ad viginti grana. Gummi hoc in frequenti apud nos uſu eſt, ad ſeroſos humores evacuandum, quod cum vomitum cauſat, ideoq; ab autore ſpiritu Vitrioli corrigitur ad vomitum impediendum, qui tamen interdum nec hac præparatione præpeditur. Vocatur Gamandræ, ſed qua ratione ignoro: Videtur enim potius ſuccus eſſe cõcretus ex herba lathride Indica: nec ritè Gummi de Goa dicitur, cum ex Sinarum regno proveniat, quod & quidam mercator, qui Bantam multis annis vixit, agnovit. Et ad ſeroſos humores uti, Auguſtanus mihi adfirmavit. Quare quibuſdam nec inepte numine cogitationes.

XXIV.

TARTARUM SATURNI-ſatum.

℞ Pulveris Lithargirij libram unam,

Aceti

Aceti vini optimi acerrimi quantum satis est.

Coque simul in vase aurichalceo per duas horas integras, colatura clara & pellucida servetur in vitro capaci, tūc instilla guttatim liquoris tartari quantum sufficit supra colaturam lithargirij & fiat coagulum albissimum, humidibus supernatans evocetur lento calore ad siccitatem. Inspergebat usceribus humidis, fœtidis, cacoetibus exiccandi causa. Interdum commiscebat cum oleo Sambuei vel Rosarum, ad consistentiam linimenti & adplicabat in serpigine, herpete & inflammativis doloribus & ulceribus.

Hæ sunt illæ magistrales compositiones Raymundo nostro familiares: peperit ille & alias; sed non ita magistraliter compositas, sed ut praxis & dictat & exigit. His fruere, & Numini benedic gratias agēdo qui Raymundo nostro hoc donum largitus est, multa ut invenire, plura illustrare potuerit.

DEO.

DEO uni & trino sit laus in omne ævum.

F I N I S.

